incomplete.

ADVERSARIA

MEDICO PRACTICA.



VOLVMINIS I. PARS III.

LIPSIAE

APVD HAEREDES WEIDMANNI ET REICH

MDCCLXX.

I.

Diſſertatio de evolutionibus corporis animalis ſani et aegri in univerſum.

Corporum naturalium indoles ab attentis ſcrutatoribus magna cum cura indaganda eſt, ut ejus conſideratio in uſus et commoda vitae converti queat. Quando autem eorum geneſis obſcura, fabrica partium minimarum ſenſu non attingenda et mixtionis ratio, per reſolutionem naturalem et artificialem indiganda, fallax admodum eſt, phaenomena incrementi et decrementi hac in re potiſſimum obſervari debent. Inprimis autem difficilis haec obſervatio ad medicos pertinet, cum non tantum in corporis humani incremento et conſervatione recte dirigenda, ſed etiam in morbis dijudicandis ad ſingulares has naturae univerſae mutationes reſpicere teneantur.

Ab eo tempore, quo novum variolarum ſyſtema, ab Ill. HAHNIO inventum et declaratum, examinavi, non ſolum ad varias evolutiones corporum animalium attente reſpexi, ſed eas etiam cum vegetabilibus comparavi, in quorum fabrica et mix-

tione luculentiora phaenomena me detecturum esse arbitrabar, inprimis si ex his ad initia regni mineralis essem ductus. Primae ideae in me natae sunt, cum evolutionem vasorum in morbo varioloso cum plantarum partibus, subinde evolutis, compararem et meas dubitationes super hac re cum Ill. HAHNIO communicarem. Etsi vero haec contemplationis initia exigua erant et maximam partem incompleta, ideoque universi systematis evolutiones inde non dijudicari poterant; etsi ubique hypothesibus seductus, magis in ignorantia rerum, quam in earum vera cognitione confirmabar, illa tamen idea semel excitata nunquam prorsus ex animo excidit. Suppressas saepius et inutiles mihi visas cogitationes contemplatio naturae denuo resuscitavit.

Itaque hac idea commotus, anno 1755. in prolusione academica demonstrare annisus sum, ex pathologia physiologiam explicari et posse et debere: cui eodem anno prolusionem aliam, de natura fibrae animalis elasticae per ejus genesin in morbis declaranda, subjunxi. Quanquam vero haec res ampliorem longe tractationem, repetitis observationibus illustratam posceret, quam qualem ego, tum aliis laboribus impeditus, vix incipere, nedum absolvere poteram, iis tamen cogitationibus ductus,

paullo

paullo post varios libellos academicos, qui debilitatis caussas in morbis declarant, exaravi. Tandem cum in adversariis medico practicis adornandis disquisitionem de evolutionibus vasorum in variolis ab Ill. HAHNIO propositam et contra reprehensiones meas defensam ex scriniis meis depromerem, denuo perlustrarem et cum aliis quoque observationibus compararem *), ad evolutiones varias, morbosas potissimum, antea observatas melius ordinandas et ad conclusiones, in medicina facienda utiles, applicandas animum appuli.

Equidem plane cognovi, in observationibus colligendis et cum iis, quae jam antea collegeris, comparandis diu versandum esse, antequam certae conclusiones inde elici queant, nihilominus tamen laborem non prorsus inutilem fore censui, si ideam evolutionis animalis in universum cum amicis communicarem et ad hanc rem declarandam quaedam exempla evolutionum universalium et particularium proponerem. Verum quando, prima elaboratione proposita, intellexi, nonnullos amicos in vocabulo evolutionis haesisse, illudque tantum ad genesin

 corpo-

*) Vid. Animadversiones nostras in Advers. med. pract. Vol. I. Part. II. p. 215. seqq. et responsa quaedam HAHNII pag. 246. seqq.

corporum, minime vero ad mutationes continuatas explicandas idoneum judicasse, operae pretium duxi, in hac universali tractatione, quae sit notio evolutionis verbo subjecta a nobis, paucis enarrare et postea de ratione observationum per partes tradendarum exponere.

Incrementum corporum naturalium non solum, sed etiam mutationes in conservatione et continuata genesi observandae in universum ita comparatae sunt, ut id, quod involutum est, se evolvat. Genesis salium, gemmae arborum et mutationes foetus animalis, ejusmodi evolutiones in triplici naturae regno fieri satis docent. In his omnibus minimae fluidorum particulae evolvuntur et coordinantur. Et quemadmodum ideae, in mente hominum natae, dicuntur evolvi et in morali et politico hominum statu res tectae omnes in successivis mutationibus se evolvunt et melius cognoscuntur, sic haud obscurum fore arbitror, si mutationes omnes, in vita animali evenientes, saepe tectae, per phaenomena tamen nobis patefactae, ad evolutiones referantur et ex his dijudicentur.

Evolutio igitur in corpore humano est successiva partium fluidarum et solidarum mutatio, quae in incremento, conservatione et destructione ejus animadver-

advertitur et, cum motus reciproci in minimis non ſatis pateant, actio ipſa tantum ex effectibus cognoſcitur. Haec evolutionum ratio non ſolum ex mutationibus foetus in utero et ex continuato corporis incremento usque ad viceſimum annum evidens eſt, ſed in continuatis quoque corporis mutationibus ulterius cernitur. Quanquam enim univerſalis evolutio, cum incremento conjuncta, poſt viceſimum annum ſubſiſtere videtur, particulares tamen, quae ſemper etiam ad univerſam corporis conſervationem ducunt, ſine intermiſſione efficiuntur. Nam ſenile etiam corpus, in quo evolutiones naturales ex parte ceſſant, vel languidius efficiuntur, contrahitur, denuo involvitur et denſius compingitur. Quod ſi igitur evolutionis verbum ita uſurpo, ut generalem illam corporum animalium in geneſi, incremento et mutationibus vitae continuatae reliquis et denique in decremento exprimat, id non temere adfirmaſſe mihi videor. Non diffiteor quidem, ineſſe huic verbo aliquam obſcuritatem, verum iſta ex rei ipſius obſcuritate pendet, quam a priori, ut dicunt, per hypotheſes, a poſteriori per phaenomena declaramus.

Equidem in hac re diſquirenda non omnem ambitum doctrinae emetiri, neque geneſin et evolutiones omnium corporum naturalium definire au-

deo, probe mihi conſcius limitatae meae hoc in genere cognitionis, ſed abſtruſas has res diſquiſitionibus exercitatiſſimorum virorum lubenter relinquam, et mihi gratulabor, ſi omnem nexum operationis naturae, in eorum libris recte deſcriptum, intellexero. Nolui tamen oblivioni tradere eas obſervationes, quae ad hanc rem facientes, mihi, phaenomena in mutationibus morborum attendenti, innotuerunt. Praemiſſis itaque paucis animandverſionibus, de evolutionibus in ſano corpore evidenter conſpicuis, rationem obſervationum in morbis iis convenientem ſimul propoſiturus ſum, ita quidem, ut exempla mihi cognita in ſeparatis hac de re tractatibus proxime exhibeam, periculum facturus, an particulares concluſiones elicere inde queam. Neque vereor, ne haec tam difficilis doctrinae initia a quopiam vituperentur, cum plane perſuaſum habeam, nec me unquam, nec eos forte, qui easdem obſervationes poſt fata mea perſequuntur, ad univerſales concluſiones eſſe perventuros.

Quoniam vero corpus humanum ex ſolidis et fluidis partibus compoſitum eſt, phaenomena, quae nos inſtruunt, partim in fabrica ſolidorum, partim in mixtione fluidorum attendenda ſunt. Etſi autem ob rerum copiam diſtinctim obſervari debeant, tamen

men cum in perenni nexu actionum corporis in ſe invicem agant, attentio in unam rem potiſſimum converſa, ad alteram ſimul dirigenda eſt. Perluſtremus praecipua phyſiologiae capita et videbimus operationes naturae apertas, quae nos ad tectas in ſanitate et morbo definiendas demum ducunt.

Alimenta ſuo modo naturae et artis ope praeparata maſticando non ſolum comminuta, ſed etiam per varios liquores ſoluta et motu periſtaltico ſubacta et propulſa in chymum mutantur, ex quo chylus ſugi et per ſua vaſa duci poteſt. Chylus itaque ex alimentis evolutus, acceſſione humorum digerentium jam aliqua ex parte aſſimilatus, ſubtiliſſimae et in corpore jam elaboratae lymphae ita admiſcetur, ut, ſi etiam maximam partem vegetabilis indolis eſſet, in animalem jam naturam mutatus deprehendatur. Ille vero in tranſitu per pulmones denuo evolvitur, quo globulis cruoris, in hoc viſcere quoque reſolutis et conquaſſatis, admiſceri et hac ratione ac motu ſanguinis per totum corpus praecipue in muſculis in aequalem mixtionem involvi poſſit. Ex ſanguine tamen, ut humore corporis univerſali, evolutiones in variis humorum ſecretionibus non ſolum efficiuntur, ſed porro etiam aliae et longe nobiliores in elaboratione lymphae et inde

pendente nutritione, porro quoque in elaboratione fluidi nervei et inde pendente vigore animali animadvertuntur. Ex his omnibus tandem continuatae et operosae actiones in conservatione et incremento corporis animalis intelliguntur.

Etsi autem haec humorum elaboratio in physiologia abunde declaratur et pro instituti ratione non satis accurate a me repeti potest, brevis tamen tractatio, quae evolutionis ideam in universum tradit, rei illustrandae omnino inservit et nos ad ulteriorem considerationem in pathologia et therapia ducit. Globuli nimirum sanguinis in sana et aequali circulatione per totum corpus, inprimis per pulmones et musculos recte elaborati, in progressu per vasa minora, caussis varie applicatis, per fabricam solidarum partium potissimum, quanquam obscure declarandis, ex mixtione sua ita evolvuntur, ut in motu continuato non tantum humores secernendi et suo modo ex corpore eliminandi, sed etiam alii in nutritionem et vigorem corporis convertendi secedant.

In varia hac humorum corporis animalis elaboratione moleculae ceu globuli, ex quibus fluida nova componuntur et evolvuntur, in novas ubique mixtiones transeunt. Ex intima enim particularum fluidi

fluidi ſeparatione et combinatione, non tantum omnis ſecretionum ratio intelligitur, ſed praecipue lymphae et fluidi nervei elaboratio, ex qua univerſi corporis vis pendet, cognoſcitur. In differentiam humorum ſecretorum inquirere, ab inſtituto noſtro alienum ſit; de lympha tamen et fluido nerveo, ut humoribus univerſalibus, nonnulla addere, non ſupervacaneum habeo.

Gelatinoſae plus minus denſae et pingues partes in ſanguine diſperſae non protinus ad nutrimentum fibrarum applicari poſſunt, ſed in ſyſtemate cellularum, vaſorum lymphaticorum et glandularum conglobatarum novam evolutionem ſubeunt, poſt quam in univerſum humorum circulum redeunt et ex eo ad varias partes ſolidas, earumque fibras minimas, delatae, varia ratione formantur, apponuntur et aſſimilantur, ut corpus conſervetur ac ſuo modo creſcat, ſemper tamen in robore elaſtico confirmetur. In his tamen minimis partibus, alia evolutio et deſtructoria quidem ſeparatio minimarum quarundam particularum in ſanis aeque ac aegris attendenda eſt: gelatinoſae enim particulae non niſi in ſpatia a ſecedentibus particulis relicta apponuntur et figuntur. Singularis denique et operoſa in encephalo efficienda elaboratio, fluidum aliquod ſubtiliſſimum evolvit, quod

per

per nervos in universum corpus diffunditur et vim corporis vitalem, sensu et motu potissimum conspicuam, efficit.

Ex iis itaque, quae nunc tradidimus, manifestum est, evolutiones, in sano potissimum corpore attendendas, ad sequentia capita redigi posse.

1. Evolutio nutrimenti sumti in digestione, quod in chyli et sanguinis elaboratione denuo involvitur.
2. Evolutio sanguinis in secretionibus et aliis humorum elaborationibus, in lymphae ceu humoris nutrientis elaboratione rursus involuta.
3. Evolutio lymphae vario modo ad solidas partes adaptandae, quae in ipsa applicatione et conjunctione cum fibris in eorum naturam quasi involvitur.
4. Evolutio fluidi nervei obscura quidem, attamen in universo corporis vigore per sensum et motum declarata, ut in ea summa vitae animalis praestantia cernatur.

Hae sunt evolutiones universales, in quibus multae particulares v. c. biliosa, spermatica cet. vel si spectes partes solidas, genesis et confirmatio ossium simul eveniunt, fusius tamen a nobis in hac commentatione examinari non possunt.

Equi-

Equidem nec novam phyſiologiae docendae methodum ſtabilire, nec vocabulum evolutionis ad omnes corporis animalis mutationes explicandas transferre volo, nec in pathologico therapevticis doctrinis docendi rationem priori ſuperſtruere audeo; ſpeciminibus tamen propoſitis, oſtendam, quomodo in mutatione corporis morboſa ad has ſanas corporis evolutiones redire et obſervationes motuum univerſalium in corpore humano accidentium, per phaenomena, ad hanc normam diſquiſita colligere ſtudeamus.

Quanquam autem ſanitas, oppoſitum plane ſtatum, morbum refert diſtinctio in evolutiones ſanas et morboſas recte locum habere videtur, tamen cum quilibet ſanus ſubinde ad morbos diſponatur et in aegro quoque ad ſanas evolutiones reſpiciendum ſit, obſervatio motuum univerſalium in ſanitate et morbo nos ſemper ad mixtas evolutiones attendere jubet, ut vires vitae et morbi rite diſcretas inter ſe conferamus. Dum enim ſanum corpus per vires ſolidarum partium elaſticas et vitales fluidas particulas movet, evolvit et vario modo diſponit, acres et viſcidas vel alio vitio noxias futuras ſimul circumducit, reſolvit et expellit, quo ſanitas conſervetur. Hoc non ſolum excretiones ſolitae

alvi,

alvi, urinae et ſudoris ſive perſpirationis, ſed et ſalivalis, mucoſa, bilioſa et rariores aliae v. c. lacrymalis et ceruminoſa in oculis et auribus oſtendunt. Diarrhoea ſeroſa et bilioſa, urina, in qua craſſa ſubſident, perſpiratio in ſudore nonnunquam foetido aucta, in vita ſana ſaepius morbos imminentes tollunt; ſimili modo ſalivae, bilis et muci in variis viis evacuatio copioſa, morbos tranſitorios vix perceptos, effectu tamen ſalutares oſtendit. Elaborationes ſanguinis et lymphae, quae variis et vehementioribus ſaepe exercitationibus corporis et animi pathematum motibus in vita communi valde turbantur, in hominibus tamen nulla particulari viſcerum et organorum labe affectis, ſaepius reſtituuntur et interdum non ſine commodo.

Quemadmodum vero in tuenda ſanitate ad clandeſtinam morbi geneſin reſpici oportet, ſic in morboſis quoque evolutionibus ad ſanitatem attendendum eſſe intelligitur. Motus febriles, qui in vario corporis ſtatu incitantur, hoc evidenter evincunt. Febris digeſtionis ceu concitatior motus ſanguinis poſt paſtum ſanguificationem efficit et juvat. Vehementiores ſunt motus, ſi magna chyli vis adducta fuit, ex vini potu largiori augetur febris et corpus incandeſcit et ſi ebrietas inde nata vim nervoſam

ſuf-

ſufflaminat et frangit, motus febriles quidem cohibentur, ſed ingratus aliquis languor ſuccedit. Quot febres ſunt catarrhales tranſitoriae, in quibus corpus, ubi perhorruit, incaluit et ſudavit, ſanitati reſtituitur. Ex his levioribus mutationibus graviorum febrium intermittentium et continuarum ratio omnino apparet; in his enim, ratione diverſorum paroxyſmorum, recte procedentibus, etſi nonnunquam graviora ſymptomata accedunt, vigor corporis ſeu ſanitas ſuperſtes evolutionem juvat et dirigit, et per has tandem ad ſecretiones ſalutares praeparat.

Has febres, quod cum ſymptomatibus non admodum gravibus incedunt, ſemper ferme benignas appellare poſſumus; quando vero refractaria mixtio materiae morboſae, copia ſanguinis et humorum difficulter movenda; quando a materia, quae motu nimio acris facta eſt, ſpaſmi excitantur; quando et eadem materia, ſingulari ratione nervis infeſta, languorum et, quod pejus eſt, celeris proſtrationis virium cauſſa eſt, tum evolutiones, a naturalibus auctis non magnopere diverſae, ita turbantur, ut ſymptomata moleſta et difficilia attentionem medici in evolutione dirigenda quam maxime perturbent. Quamquam vero enumeratae cauſſae triſtem saepius morbi progreſſum et finem faciunt, tamen et reme-

diorum

diorum inprudens applicatio magis nocet, ita ut ſpontanei naturae motus non tam periculoſi ſint, quam quae ab erroribus aegri et eorum, qui curam hujus ſuſcipiunt, derivantur. Prudens itaque medicus et tum, cum triſtes materiae evolvendae perturbationes variis de cauſſis accidunt, non niſi attenta evolutionum ſanarum contemplatione ad auxilium aegro ferendum idoneus evadit.

In ſyſtemate ſeroſo lymphatico ſimiles evolutiones evenire dubium non eſt. Hae vero vel lente tantum in morbis chronicis procedunt, vel interdum, febre tandem accedente, vehementius abſolvuntur. In cellulis tamen et glandulis lymphaticis, quibuscum vaſa, ſubtiliores humores vehentia, conjuncta ſunt, materia morbi difficulter ſubigi poteſt et mutari. Materia certe in viis minimis nimis evoluta et ſubtiliſata ad vias excretorias non ducitur, ſed in corpore diu ſubſiſtit, ibique vel lente multiplicatur, vel etiamſi tantum quieſcit, viribus corporis ſolis non amplius mutatur et expellitur, ſed efficacem poſtulat medicinam. Hac enim humores univerſi reſoluti tandem ad ſyſtema ſanguineum et inde ad colatoria organa transferuntur, quod ſaepe ſine gravi corporis noxa effici non poteſt, inprimis ſi mala materia ſolidis ipſis inhaereat et eorum vires elaſti-

elaſticas et vitales infringat. Summa itaque medici attentio exigitur, ſi miaſmata chronica maligna evolvi, mutari et expelli debeant. Hujus evolutionis morboſae per prudentem medicum dirigendae exempla, in atrabiliariis et hypochondriacis, arthriticis, ſcorbuticis et venereis morbis potiſſimum invenienda et ulteriori obſervatione definienda, ſuſcipiamus.

Cum fluidum nerveum ſit humor ſubtiliſſimus, ex ſanguine ſecretus, mira tamen ratione per nervos in totum corpus diffuſus, in evolutionibus reliquis ſanis et morboſis ſolidarum et fluidarum partium, ejus vis vel aucta vel imminuta attendenda eſt, quo minimarum fibrarum actio in motibus omnibus dirigendis ex effectibus dijudicetur. In ipſo tamen hoc fluido elaborando et per corpus ducendo, ſingulares ſaepe et mirandae exiſtunt evolutiones, quae cum natura ejus valde obſcura ſit, etiam difficulter inveſtigantur et declarantur. Sopores et ſpaſmi, vel ut ſymptomata in variis morbis accidentia, vel ut morbi ipſi habituales oriundi et permanentes, hoc ſatis indicant, quibus ſi deliria melancholica et maniaca addideris, maxima rerum obſervandarum copia offertur.

Quanquam vero et in aliis evolutionibus propter intimam particularum et ſanarum et morbo-

 ſarum

ſarum mixtionem in fluidis et propter ſubtiliſſimam fabricam in ſolidis, haud exigua obſcuritas nos ſaepenumero confundit, illa tamen in nervorum motibus obſervandis maxima eſt, et praevidemus omnino, obſervationes et explicationes phaenomenorum, non nobis tantum, ſed futuri quoque ſeculi doctoribus difficillimas et profecto impoſſibiles futuras eſſe. Nihilo tamen minus noſtrae partes ſunt, et hac in re omnia phaenomena in morbis conſpicua caute obſervare et inter ſe conferre, nequaquam vero protinus ad hypotheſes ſtabiliendas trahere, ſed tantum variis ſyſtematis medici capitibus adjicere et iis tandem, qui nos ſequuntur, concluſiones inde eruendas committere. Quoniam vero haec omnia non ad hiſtoricam tantum rerum medicarum cognitionem, ſed ad ipſam medicinam faciendam transferenda ſunt, nocentium et juvantium indoles tentaminibus eruenda eſt, quae quidem res non ad abſolutam, ſed limitatam magis therapiae cognitionem ducit.

Diſquirendum autem eſt, cur evolutionis ideam, quae primum ad ſolidas partes transferenda erat, ad fluidas praecipue partes transtulerim ita, ut omnis ratio mixtionis in ſyncraſi et diacraſi humorum per eam unice declaretur? ſolidarum profecto partium

evo-

evolutio non intelligi poteſt, niſi ex motu fluidorum, per quem non ſolum nutritio et conſervatio partium, ſed eorum etiam incrementum dirigitur. Motus nimirum fluidorum per vaſa et progreſſivus et inteſtinus et ex hoc potiſſimum pendens elaboratio ſucci optimi gelatinoſi et extenſionem vaſorum et appoſitionem novarum particularum efficit, quae major eſt in molli et juniore aetate, hinc incrementum; aequalis in media aetate, hinc conſervatio; minor in ſenili aetate, inde contractio corporis. Quae autem hac ratione per varia vitae ſtadia procedere debebat evolutio, multis modis turbatur, diaeta minus recte obſervata, atque inprimis tum, ſi in ea neglecta morborum univerſalium cauſſa latet. Poſſunt tamen et hic de inaequali corporis incremento et vigore cauſſae indagari, ex quibus varia evolutionis ratio explanetur.

Quanquam vero hoc in fabrica omnium partium ſolidarum et in earum continuata nutritione perſpiciatur; ſanatio porro vulnerum et coalitio in cicatrice, non niſi nutritioni analoga eſt, denique in variis morbis fungoſae carnis geneſis et induratio calloſa membranarum ſubinde extenſarum ſimilia phaenomena offert, nusquam tamen evolutionis ratio facilius, quam in oſſium incremento apparet.

In cylindricis nimirum diaphysium elongatio et epiphysium apta conformatio, in planis extensio striarum ossearum a medio ad ambitum, veram ossium evolutionem in statu naturali luculentis phaenomenis declarat. Neque vero minus in morbosis ossium exostosibus, in fractorum coalitu et formato callo, similis novarum particularum ossearum evolutio animadvertitur.

Quando autem in morbis febrilibus non solum cacochymiae per diaetae peccata collectae v. c. viscida, rancida, cet. evolvuntur et suo modo subiguntur ac expelluntur, sed specificae quoque putridae, variolosae et aliae ad summam et contagiosam subtilitatem exaltatae, generantur, medicorum attentio nec in his debet desiderari. In tanta quidem mixtionis particularum subtilitate semper et ubique obscuritas nullo modo discutienda apparebit, symptomatum tamen universalium ratio nonnulla signa subministrabit, ex quibus, etiamsi non caussae primae, certe tamen effectus elucescunt, qui in cura morborum usu suo non destituuntur, sed argumenta, a similitudine desumta, certiora et ad applicationem medicamentorum idonea reddunt.

Omnis haec de evolutionibus fluidarum et solidarum partium doctrina, quae ad universum syste-

ma

ma medicum ſpectat, ſpiſſis quidem tenebris involuta latet, nec niſi attentos naturae indagatores commovet. In minimis ſenſui non facile obviis partibus evolutio abſolvitur, nec unquam rite dijudicatur, niſi ex una parte cauſſae agentes univerſales, ex altera effectus, per phaenomena patentes, recte annotentur, annotataque ſaepius examinentur. In hac re itaque detegenda duplex via nobis patefacta videtur: aut enim in cauſſas primum inquirendo ad effectus progredimur, quae via recta, etſi in obſcuritate cauſſarum primarum difficillima eſt; aut ab effectibus ad cauſſas regredimur, quae quanquam inverſa via eſt, tamen cum in luculentis phaenomenis incipiat, optima ſemper judicanda eſt.

Etſi vero in tanta rerum difficultate finem noſtrum non attingimus, induſtriam tamen et operam, ad hanc rem impenſam, non ſine fructu fore ſperamus. Dum enim modum evolutionum obſervandarum in variis exemplis tradituri ſumus, conſilium nobis eſt, doctrinae noſtrae alumnos ad ſimilem ex hoc genere induſtriam excitare. Ita enim facile perſpicient, quam neceſſe ſit, in omni morborum examine, actiones hominis ſani et aegri comparare; et quemadmodum in ſcholis pathologia et

 thera-

therapia per physiologiam illustratur, sic denique phaenomena morbi et mutationes sanationis naturam, in sano corpore agentem, ostendent. Cognoscant cautam hypothesium explicationem, quibus quidem res physica et medica carere nequit, ita tamen ut res, quae non semper certo possunt doceri, ad probabilem conjecturam transferantur, quae tamen semper conjectura manet, nisi per nova collecta phaenomena amplius declaretur. Cum denique omnis cognitio medicinae in motuum animalium directione posita sit et consilia diaetetica et auxilia pharmacevtica, quatenus hos motus in evolutionibus consuetis et satis cognitis mutent, attendi debeant, quo vis consilii et auxilii recte intelligatur, medicina practica ultimum et praestantissimum usum inde percipiat, selectus enim remediorum non coeco ausu, sed ex veris artis principiis instituatur, necesse est.

II.

Commentatio de morbo et morte amatae conjugis menſe decembri 1767. conſcripta.

Dolor acerbus, quem mors amatae conjugis ante tres menſes mihi excitavit, nondum ſopitus eſt, potius, non nihil ſuppreſſus, vivide recrudeſcit, cum ea, quae ad rem medicam illuſtrandam faciunt, ex adverſariis meis ſuper hac re eruere cogito, quo confuſe et anxie conſcripta, quodam modo in ordinem redigantur. Equidem praevideo, nec exercitatos medicos, ideoque nec artem medicam in univerſum, ex hac, quam exhibeo, deſcriptione inſigne doctrinae augmentum, nec illuſtrationem accipere poſſe, quod omnia auxilia, in gravi morbo incaſſum adhibita ſunt, et perverſus, qui ſectione tandem detectus eſt, inteſtini coli ſitus atque expanſio, ut morbi et mortis cauſſa proponenda jam multis aliis obſervationibus declaratur; ſed in hac re deſcribenda et mihi et Vobis, Amici optimi, memoriam chariſſimae Ludwigiae, quanquam triſtem, renovare et doctrinae noſtrae alumnis exemplum tradere volui, quomodo medendi methodum et tum, cum omnia auxilia irrita ſunt,

ad normam medicinae rationalis dirigere et disquisitiones anatomico practicas in perverso partium situ, accurata perlustratione ducti et de vero partium situ instructi, recte absolvere debeant.

Sophia Regina Ludwigia, nata est die 18. augusti 1726. Etsi autem die nono aetatis matre orbata est, tamen educatio, quoad animum aeque ac corpus, ad sextum usque annum, constitutioni utriusque accommodata erat. Ab eo autem tempore sollicita corporis et animi cura maxime neglecta et nostra ad labores aerumnosos corporis viribus majores adstricta est. Quanquam autem hac vivendi ratione corporis incrementum non penitus retardatum est, tamen, cum victus non semper digestionis viribus responderet, in flore aetatis adolescentis imbecillitas quaedam, cum cacochymia conjuncta, oborta est. Accidit autem felici eventu, ut anno aetatis decimo quinto a matris sorore exciperetur, quae ulteriorem ejus educationem sapienter direxit, hujus enim cura factum est, ut vires languidae quodammodo reficerentur, quibus confirmatis, non solum variolas et morbillos prospere superavit, sed et in aliis morbis, cum exanthematibus conjunctis, quibus cacochymia nonnunquam corrigitur, vita ejus conservata et sanitatis vigor maximopere restitutus est.

Deci-

Decimo octavo igitur aetatis anno, morbis his superatis, humoribus correctis et aliquo partium solidarum robore inducto, recte convaluit, quibusdam tamen imbecillitatis signis a neglecta antea bona educatione relictis. Cum itaque ad annum vicesimum accederet, mihi nupsit et secundo matrimonii anno filium vegetum et sanum peperit, etsi gravida ob morbum meum periculosum animo non parum afflicta erat. Ab hujus filii lactatione ob uberiorem lactis affluxum, quo debilitata est, abstinere cogebatur. Sed ab eo jam tempore haud raro de tensionibus abdominalibus praecipue in regione ventriculi conquerebatur et simul ex alvi segnitie varia incommoda patiebatur, quae tamen incommoda et potui calido, quem prae frigidiusculo amabat et habituali intestinorum angustiae adscribebam, inprimis cum a variis medicamentis purgantibus, constitutioni corporis accommodatis, parum moveretur et juvaretur.

Quae postea sequuta sunt puerperia, minus felicia erant, quod praeter imbecillitatem naturalem continuis ferme infimi ventris spasmis, quibus tentabatur, adscribebam. Angebant illam praeterea curae domesticae, cum in morbo diuturno et morte primogeniti filii noctes saepe insomnes transigeret

ret et, nimis ſaepe timida, animum et corpus defatigaret. Quinque igitur ſequentes filios vel ſexto vel ſeptimo graviditatis menſe edebat et in graviditate ipſa, in puerperio et in ſervando uno ſeptimeſtri partu multis morbis usque ad ſeptimum annum agitato, ita ſemper depreſſa eſt, ut verum corporis vigorem nunquam recuperare poſſet. Vix enim annus erat, in quo non haemorrhagiis uteri et ſaepe graviſſimis febribus anomalis aliisque morbis tentaretur. Vicit tamen haec omnia uſu parco ſelectiſſimorum remediorum, apto diaetae regimine ac tranquillitate animi, et inter magnas curas domeſticas ita tamen conſervata eſt, ut ultima graviditas, quae in annum aetatis triceſimum primum incidebat, feliciſſime ad juſtum terminum duceretur. Filium enim peperit ſanum viresque et in graviditate et paulo poſt, inprimis corticis Peruviani crebro uſu adjuta, ſuſtinuit, ita ut et ejus educationem, ob morbos ſaepius accedentes, difficilius ad decimum usque aetatis annum dirigeret, ipſumque ſub initium hujus anni, ex celeri corporis incremento graviter laborantem ſua cura ſervaret, vigiliis nocturnis ſaepe detenta miſerum aegrum, ipſa ſaepe aegrotans tamen in ſinu foveret. Et profecto chariſſima matrimonii noſtri pignora,

duo

duo filii superstites, qui de obitu matris praematuro mecum lugent, non vitam tantum, sed conservationem quoque vitae, praeter Dei providentiam, optimae huic matri debent.

Ipsa vero, ut per totam vitam semper imbecillis et ad morbos proclivis erat, sic praecipue in ultimis sex vitae annis continuis ferme anxietatibus, quae saepe animi tristitiam et moerorem hypochondriacum inducebant, agitata est, ita tamen, ut animi constantiam, in tristi morbo conservatam, virtute et religione confirmaret. Augebantur hae anxietates tum praecipue, cum alvus non recte respondebat, validisque saepe medicamentis purgantibus non moveri poterat. Salium saepe sat magna dosi sine fructu usa est, quae ob summam, quam intestinis inducunt relaxationem, crebrius propinari non poterant. Aqua igitur amara Seydschützensis, qua alvus in aliis facile movetur, inprimis si vesperi pilulae gummi saponaceae praemittantur, saepe illam prorsus non, saepe parum movit. Nec clysmata semper speratum effectum edebant, quam ob rem aestate superiori fel taurinum recens ad drachmam unam et alteram immo interdum ad unciam semis cum aqua cinnamomi sine vino crebrius et quotidie ferme sumsit et alvus inde cum levamine soluta est.

Cum

Cum enim utplurimum foeces non ſatis tinctae, ſed tenaces et quaſi argillaceae eſſent et bilis inertiam vel defectum proderent, hoc auxilio potiſſimum utendum erat.

Hieme utplurimum melius ſe habebat amata mihi conjux et rarius anxietates has hypochondriacas ſentiebat, alvus etiam melius reſpondebat, appropinquante autem vere, magis anxia reddebatur, alvo ſimul ſicciore. Ad hanc lubricandam ſaepe per aliquot menſes lac caprillum aliquoties et aſininum potavit, ſed ſine fructu, cum alvus et tunc ſiccior eſſet. Balneis Lauchſtadienſibus anno ſexageſimo quarto et quinto quodammodo adjuta eſt, motus autem in aëre libero et frictiones infimi ventris in balneo, quibus tenſiones reprimebantur, plus commodi praeſtitiſſe opinor, quam vim balnei roborantem. Ideo etiam aeſtate ſuperiori ſaepius ruri commorata eſt, quo exercitatione corporis in aëre liberiore reficeretur, ſaepe enim per horam et ultra ſine defatigatione et cum vero refectionis ſenſu obambulavit.

Variis itaque his cauſſis, eam laedentibus et per tot annorum decurſum corpori applicatis, debilitata conjux chariſſima ad hunc annum, qui quadrageſimus primus vitae erat, ſatis tamen vegeta acceſſit,

ut

ut negotiis domesticis accurate, uti semper fecit, praeesse posset, sub initium aestatis vero tristia debilitatis nervorum symptomata sensit, anxietates nimirum crebriores, sicca saepius et tarda alvo. Foeces ob inertiam bilis argillaceae, tenaces, tensiones abdominales, inprimis in hypochondriis, crebriores, continuas ferme molestias efficiebant et quanquam lenia laxantia, bilis bovinae usus, clysmata et carminativa quaedam medicamenta interdum levamen afferebant, hoc tamen exiguum erat.

Die vicesimo augusti, multis curis domesticis recte superatis, vesperi in rus abiit, pedestri itinere unius circiter miliaris sine magna defatigatione absoluto, quod tamen somnus, ut saepe accidebat, minus tranquillus sequebatur. Die sequenti in sinistro latere ad flexum intestini coli sub liene dolorem paullo acriorem sentiebat, transitorium tamen, ita ut pulverem ex terreis antacidis nitro et castoreo, quem ei offerebam, sumere recusaret et die vicesimo secundo augusti quoque negotia domestica curare ac sine ulteriori doloris sensu in horto obambulare posset. Parcum sed bonae notae cibum hac die sumebat et potu ordinario aquis scilicet Selteranis parce utebatur, nox etiam satis tranquilla erat.

Die

Die ſequenti tempore jam matutino magis anxia, de alvo obſtructa ac doloribus ſiniſtri lateris iterum conquerebatur et ob auctas abdominis tenſiones incurvo non nihil corpore incedebat. Circa meridiem accedebant nonnulli amici, quos hilari vultu excipiebat, iisque praeſentibus dolores obortos celare annitebatur. Ego vero illi perſuadebam uſum clyſmatis, quo foeces quaedam durae et tenaces ſecedebant, ut tenſiones infimi ventris non nihil remitterent, ipſa vero veſperi me in urbem regredientem, ad pagum usque vicinum comitaretur et ex ambulatione levamen aliquod percipere videretur. Sed cum inde in villam reverteretur, dolores abdominis inprimis ſiniſtri lateris longe majores ſenſit et per totam noctem iis excruciata eſt, cum epithematibus calidis crebro applicatis levari haud poſſent. *) Summo mane clyſmata poſtulabat et primum quidem nonnulla ſcybala duriora removebat, reliqua vero nec flatus diſcutiebant, nec dolorem ſopiebant.

Curru itaque lente in urbem vehebatur, ne concuſſionibus dolores ventris intenderentur, et die viceſimo quarto auguſti hora quarta promeridiana, con-

*) Forte frigida profuiſſent epithemata, quae robur extenſis inteſtinis reddidiſſent, ſed et haec applicata ſine fructu fuiſſe, eventus morbi declaravit.

continuis doloribus tentata, incurvato corpore in meos amplexus ruebat, triſtem hujus morbi exitum ſentiens, et a me, ſi quod eſſet, ſolatium expetebat. Suaſi quietem in lectulo et mox propinavi ſalis Sedlicenſis amari unciam ſemis et quo alvus eo certius moveretur, clyſma ex fumo herbae nicotianae applicari juſſi, ſed incaſſum. Data igitur hora ſeptima altera ſemiuncia ſalis amari, cataplaſma diſcutiens et emolliens ad dolores ſiniſtri lateris potiſſimum ſopiendos ventri uſurpavi. Nox erat minus tranquilla. Cum igitur hora ſecunda matutina auxilium meum iterum efflagitaret, tartari vitriolati duas drachmas ei propinavi, clyſma carminativum ſuaſi et poſt aliquot horas iterum doſin ſalis amari exhibui, cum et antea interdum continuato uſu hujus remedii alvus mota eſſet. Ob doloris et ſpaſmi vehementiam venaeſectione levamen afferre cogitabam, ſed imbecillitas eam diſſuadere videbatur. In auxilium itaque vocavi amicos medicos, qui ex pulſu, nec nimis celeri, nec forti concludebant, venaeſectionem minus neceſſariam eſſe.

Quod autem, medicamentis hucusque exhibitis, alvus non movebatur, aegra bilis bovinae cochleare unum et poſt aliquot horas alterum ſumebat, hoc remedio enim alvus, antehac ſaepe pertinaciter obſtructa,

ſtructa, ſoluta eſt, ſed et nunc effectus votis non reſpondebat. In prandio tenue juſculum cum halica ex fagopyro et aqua Selterana pro potu exhibita ſunt et cum ſalium uſu continuato nimia partium laxitas induceretur, neque tamen his foeces nimis tenaces reſolverentur, ſingulis duabus horis mixturae ex tartari tartariſati drachmis duabus, extracti centaurii minoris drachma una, aquae menthae ſine vino unciis duabus et uncia ſemis aquae cinnamomi ſine vino parata, ad cochleare unum et alterum propinabatur et ſimul clyſmata ex fumo herbae nicotianae continuata ſunt, ſed ſine fructu.

Die 26. auguſti aegra deſiderabat remedium laxans ex pulpa tamarindorum uncia una, mannae et cremoris tartari ana uncia ſemis, quod alias alvum bene moverat, illudque, conſentientibus amicis medicis, accepit, quanquam autem motus in abdomine excitati ſunt, nulla tamen ſubſequuta eſt excretio, ſed tenſiones obortae verſus veſperam iterum paullulum conquieſcebant, inprimis cum cucurbitulae et vitra aëre rarefacto repleta abdomini applicarentur et ita inteſtina flatibus diſtenta paullulum comprimerentur. Hac nocte, quae et ipſa ſine ſomno tranſiit, ſolutionem gummatum ſumſit, quo tenacitas foecum, ſalis uſu non reſolvenda, ad ali-

quam

quam fluiditatem diſponeretur. Miſcebatur nimirum gummi ammoniaci et galbani ana drachma una et aſſae foetidae drachma ſemis cum olei amygdalarum dulcium uncia ſemis et drachma una tincturae antimonii tartariſatae, addita ad ſolutionem melius praeſtandam ſufficiente quantitate vitelli ovorum, his bene tritis addebantur aquae florum chamomillae unciae tres et aquae menthae ſine vino uncia una, cujus mixturae unciam circiter ſingulis duabus horis ſpe auxilii confirmata ſumſit aegra, etſi prorſus nauſeoſus eſſet ſapor.

Die 27. auguſti ante meridiem non niſi analeptica medicina adhibita eſt, cum animus ejus, tot cruciatibus agitatus, ſacrae coenae uſu confirmandus eſſet, a meridie vero mixturae reſolventi, praeterita nocte hauſtae, medicamentum laxans ex foliorum ſennae ſine ſtipitibus drachmis duabus, mannae optimae et ſalis amari Sedlitzenſis ana uncia ſemis, in aquae ſimplicis unciis tribus leniter coctum, adjungebatur, quo quidem vehementer agitata eſt, inprimis cum atonia ventriculi in ſic dicto ſcrobiculo cordis et hypochondriis majorem diſtenſionem admitteret, ex qua re anxietates moleſtiſſimae inducebantur. Omnibus his temporibus et emollientia cum oleoſis et ſapone et interdum diſcutientia

carminativa applicata ſunt, ſed ſine omni effectu, cum, ſi etiam aliquid muci, ab inteſtinis abraſi, ſecederet, nullum tamen, ne minimum quidem levamen perciperetur.

Erat vero ventris tumor prorſus ſingularis. Regio inferior abdominis verſus pubem non adeo tumebat, ſub umbilico autem tumor transverſus conſpiciebatur, quem zona coli, e ſitu ſuo deorſum preſſa, efficere videbatur, in loco zonae ipſius aliqua transverſa depreſſio erat et in regione ſcrobiculi cordis et utrinque in hypochondriis ſuper dictam depreſſionem, ventriculus maximopere diſtentus partim eminebat, partim ſurſum diaphragma urgebat. Inteſtinis itaque tenuibus parum diſtentis, ventriculus a mole ingeſtorum, zona coli autem flatibus diſtenta videbatur. Ventriculus vero diſtentus per crebras frictiones eo non deduci potuit, ut vel per cardiam, vel per pylorum aliquid dimitteret, ita ut aegra, quae inter ipſam frictionem aliquid levaminis percipiebat, nunquam ructum aliquem ederet, cum ſpaſmo pertinaci utraque extremitas ventriculi praecluſa eſſe videretur. Vomitum ſaepe expectabamus, cum conatus vomendi, ſed ſine inſigni nauſea interdum orirentur, ſperabamus enim anxietates quaſi ſuffocativas rejecta aliqua parte contento-

rum

rum ventriculi aliquantum mitiores fore, etsi morbum inde non sanari posse praevidebamus. Nihil tamen emotum fuit, nisi lenis ructus, ex oesophago tantum ascendens et aliqua viscidi particula ex faucibus expressa.

Cum hac nocte adeo excruciata esset, sed medicamentum stimulans, nec laxans, nec carminativum propinari posset, die 28 augusti oleum amygdalarum dulcium, recenter expressum, cum vitello ovorum tritum, addito pauxillo vini hungarici generosi, per partes propinavimus. Etsi enim relaxatio major ventriculi ab oleo timenda erat, aliquod tamen in spasmo solatium et aliquam virium refectionem inde expectabamus. Tentavimus quidem antea lenia quaedam medicamenta carminativa, infusum radicis serpentariae virginianae cum aqua melissae sine vino, extractum cascarillae, cum aqua cinnamomi sine vino solutum, et alia remedia antispasmodica, horum tamen usum, ut saepe, sic hodie potissimum, negligebat aegra, cum inde nullum unquam levamen sentiret, nec ructus unquam secederet, ob summam, ut opinabamur, ventriculi atoniam. Quanquam vero ventriculus distentus nullo modo cedebat et emplastrum quoque stomachicum, ex emplastris de crusta panis, matricali et gummi

 galba-

galbano paratum et cum oleo chamomillae et galbani malaxatum ſine effectu applicaretur, tamen cum hac die catamenia, quae jam ante quatuor dies expectavimus, erumperent, aliquid inde levaminis afferri poſſe ſperabamus, ſed ſpes quoque inanis erat, cum non niſi quaedam menſtrui ſanguinis veſtigia apparerent.

Die 29. auguſti ab hora tertia ad quintam matutinam, continuis cruciatibus hucusque defatigata aegra paullulum dormiebat, quo tamen ſomno nullo modo refecta eſt, per totum vero diem ſudabat, pulſu pleno, molli magis, quam duro et perſpiratione aucta, ſpaſmi non nihil levari videbantur, ex qua re ſpem aliquam moti obſtaculi in ſiniſtro latere percipiebamus. Sed nox jam gravior erat et tenſiones in ſiniſtro latere iterum moleſtae, non tantum vehementiores redditae ſunt, ſed inde ad ſpinam dorſi deductae, ut continua frictio, qua non nihil levabatur, neceſſaria eſſet. Media nocte clyſma oleoſum et verſus matutinum tempus aliud cum pauco ſtimulo ſalis et oxymelle injiciebatur, quod tamen ſubito expulſum eſt et non niſi poſt horam viſcidum ſuſtulit.

Cum igitur ſpes omnis ſpontanei naturae conatus evaneſceret, cum tot medicamenta ſtimulantia, reſol-

resolventia et lubricantia sine omni effectu tentata essent, et omne obstaculum in nimia distensione ventriculi et intestini coli, ob relaxationem tunicarum expansi, positum esse videretur, simul tamen de primo obice in sinistro latere removendo cogitandum esset, medicamenta insuper, quae volumen aliquod habebant, non amplius tentari possent, cum catameniorum fluxus, qui adhuc se monstrabat, leniter quidem et sine levamine procederet, heroico illo mercurii vivi auxilio, quod in hunc usque diem distuleramus, forte miseram aegram juvare posse credebamus, inprimis cum, resolutis viscidis et tenacissimis foecibus, ponderosum hoc remedium viam, si qua esset, aperire posset. Quanquam autem dubitari potuisset, num hoc remedium in morbo, ab insigni nervorum imbecillitate oriundo et ab atonia ventriculi et intestinorum pendente, ullius usus esse posset, in summis tamen malis dubium hoc potius, quam nullum elegimus auxilium, inprimis cum damnum evidens, ex mercurii vivi usu oriundum, timendum non esset.

Paravimus igitur die 30. augusti balneum ex lacte cum emollientibus herbis decocto et sapone veneto et postquam aegram imbecillem per horam dimidiam in eo detinuissemus, aliquoties fricato spon-

gia abdomine, hora undecima propinavimus cochleare olei amygdalarum dulcium recentis et paullo post unciam unam mercurii vivi rite destillati. Disquisito autem, hac data occasione, ventris tumore, ab umbilico et loco zonae coli depresso, versus scrobiculum cordis et hypochondria maximam et insignem prorsus ejus deprehendimus resistentiam, minorem in parte abdominis inferiore, hic enim cutis corrugari et imus venter comprimi poterat. Continuavimus postea usum mercurii vivi et hora prima, quarta, septima et nona semper unciam unam et semis praemisso oleo amygdalarum dulcium propinavimus, in balneum autem aegra ob imbecillitatem descendere recusabat. Mercurii igitur vivi septem uncias intra decem horas deglutivit. Tota tamen hac die nihil mutatum est, sed consuetae abdominis tensiones continuabant, nec ullum postea ab hoc mercurii usu percepimus effectum, nec salutarem, nec sinistrum.

Nox erat minus tranquilla, ut praecedentes omnes. Die itaque 31. augusti, amici medici de novis auxiliis cogitabant, sed aegra plura remedia renuebat, nec nos certum quoddam, obici in sinistro latere tuto opponendum, invenire potuimus. Quanquam autem moeror me et amicos tandem deprimebat, cum

perti-

pertinacia morbi, artis auxilia votis noſtris minus reſpondere, oſtenderet, quo vero officio noſtro ſatisfaceremus, dijudicavimus varia medicamenta, indicationibus, a nobis formandis, reſpondentia: hinc partim de evacuantibus ſtimulantibus, partim de antiſpaſmodicis medicamentis differendum erat, quod tota deliberatio in obice excretionis alvinae removendo et in ſpaſmo partim refrenando verſari debebat.

Ad purgantia quod attinet, digeſtiva et ſalina et lubricantia ſat copioſe jam propinata erant, ſed haec ventriculum et tubum inteſtinalem magis repletum, diſtenſione nimia ad atoniam diſpoſuerant. Draſticorum uſus vix tentandus erat ob ſpaſmi vehementiam, cum a ſtimulantibus, aliqua et moderata doſi additis, motus tenſivi magis aucti eſſent, obice tamen non emoto. In noſtra enim aegra et tum, cum ſana videretur, parum commodi praeſtiterunt. Reſina jalappae, vitello ovorum ſoluta, ad ſex grana exiguum effectum edidit et cum ei ante quatuor annos intra viginti quatuor horas ſucceſſive cum pilulis ſaponatis quindecim grana hujus reſinae exhiberem, non niſi una vel altera largior dejectio ſubſequuta eſt, cum e contrario ex bilis bovinae uſu, ſemper alvus facilior et copioſior fuiſſet. Cogitavimus de

auro fulminante, cujus effectum in pertinacioribus alvi obſtructionibus optimus praeceptor WALTHERUS adeo extollebat; ſed vis ejus in varia praeparatione dubia et effectus, etſi antehac ſaepe tentatus, nunquam a me ſalutaris deprehenſus erat.

Antiſpaſmodicis forte juvari potuiſſet miſera aegra, ſi ſuccum nutritium bonum fibris infundere illasque ad ſuſcipiendos ſtimulos moderatos aptas reddere licuiſſet, ſed adeo diſtentae, relaxatae et debilitatae erant, ut nec flatum contrahendo exprimere poſſent. Et quomodo ea, quae ob imbecillitatem univerſalem et tum, cum ſana videbatur, nutrimentum acceptum non ſatis elaborare poterat, nunc vere nutriri potuiſſet, cum nec minimam alimenti partem digereret. Relaxantia lubricantia, ſpaſmum ſopientia, exhibita ſunt, ſed certe noxia fuerunt, antiſpaſmodica caſtoreata, ſuccinata et olea deſtillata in refracta doſi ut carminativa propinata parum profuerunt. Moſchum ut antiſpaſmodicum lubenter tentaſſem, ſed omnes amici ſciunt ſingularem aegrae idioſyncraſiam, quod odore hujus medicamenti ſaepe vehementer commota erat. Opiatis inſignes aegrae cruciatus diu jam levare volueramus, cum et ipſa opium poſceret, ſed repugnare videbatur aucta abinde febris, quam ob ſitim conjunctam

junctam magis, ac aliam ob caussam timebam et cum in nostra spasmi praecipue ex debilitate orirentur, non sine ratione arbitrabar, hos, si etiam per usum opii quodammodo sopiti essent, graviori impetu redituros esse. Medicamentis igitur copiosis frustra tentatis, aegram urgere et quasi ad tumulum protrudere et mihi et amicis quoque durum videbatur. Forte tamen proxima nocte si dolor nimium urgeret, aliquot grana extracti opii in aqua analeptica soluta per partes propinari posse credibile erat.

Cum itaque hoc die aegra quodlibet medicamentum recusaret, usque ad horam quintam, cum aquam ferre non posset, nihil nisi jusculum decocti avenae excorticatae cum vitello ovi in eo subacto et pauxillum cerevisiae tenuis, quo sitim magis falleret, quam extingueret, hausit, de tensionibus insuper abdominis, ex quibus summe anxia reddita est, maximopere conquerebatur. Aloe proponebatur cum sale ammoniaco miscenda et amici, omnibus rite perpensis, ita consentiebant, ut aloes succotrinae drachmae duae cum aceto tererentur et tenuissima pars soluta, aqua analeptica addita, propinaretur. Amicorum monitis tandem commota amantissima conjux hora quinta primam, septima vero

 alteram

ram partem ſumebat. Vomitus tunc movebatur, qui tamen cum tantum pauxillum viſcidi ex faucibus exprimeretur, non amplius ſubſequutus eſt, tandem ſingultus ſuccedebat, nullus tamen ne minimus quidem ructus explodebatur. Conquerebatur de ſenſu quodam caloris, quem tamen pulſus ſatis tranquillus non indicabat, ex anxietate itaque vel potius jam a reſolutione humorum putrida ſenſus caloris derivandus erat.

Quod autem, clyſmate hora quarta injecto, aliquid muci ſeceſſerat, verſus mediam noctem aliud ex herbae ſalviae, ſummitatum meliloti et radicis valerianae decocto cum melle et oleo paratum eſt, quod diu ſatis retinebat aegra, ideoque, eo rejecto, iterum aliquid tenacis pituitae excernebatur. Ab eo tempore dolor, qui ſupra umbilicum premendo et terebrando urgebat, verſus latus ſiniſtrum iterum ſe extendebat et ſpem aliquam reſuſcitabat, obicem adhuc removeri poſſe, inprimis cum veſperi aliqua ſpaſmorum remiſſio obſervaretur. Somnus tamen nullus alliciebatur et matutino tempore ſpaſmi et dolores in regione ventriculi, maximopere tenſa, denuo urgebant, ut tumor imi ventris ultra modum excreſceret.

Dies

Dies primus ſeptembris et aegrae et mihi et amicis medicis vere triſtiſſimus erat, quo continuis et novis doloribus atque anxietatibus defatigata, nullum amplius medicamentum deglutire audebat, cum tenſio inde nimium augeretur. Nos ipſi cum tot egregia et efficacia remedia ſine effectu ſalutari exhibuiſſemus, coacti ſubſtitimus et, cum de obice removendo non amplius cogitare poſſemus, de ſymptomatibus leniendis tantum ſolliciti eramus. Sed et hic inconſultum erat, epithemata diſcutientia et alia externa remedia, quae inprimis vaporoſa efficaciſſima ſunt, tumenti abdomini applicare. Sic vera corporis aegrae conſideratione ducti, in clyſmatibus carminativis et antiſpaſmodicis, quibus praecipue caſtoreum et aſſa foetida adjiciebantur, per intervalla injiciendis et in externis quibusdam remediis auxilium, etſi incompletum, quaeſivimus. Inunximus itaque oleo galbani partem ventris tumentem et, unguinoſo bene deterſo, ſuffitus ex ſuccino albo, gummi laccae, anime, olibano pannis laneis excepimus et applicavimus. Alium ſuffitum, ex myrrha et aſſa foetida paratum, ob tetrum nimis odorem aegra ferre non poterat. Sed jam ante meridiem vehementes erant anxietates, quae usque ad horam tertiam augebantur. De ſumma praeci-

pue

pue ventris tenſione conquerebatur optima aegra, ob quam quieſcere haud poterat. Nos vero omnes experientia edocti cognovimus, has anxietates in iis non tantas fuiſſe, qui in aſcite et tympanitide maximas ventris extenſiones paſſi ſunt. Spaſmi quidem, qui funeſtum obſtaculum movere annituntur, extenſio ventriculi et inteſtini coli verſus diaphragma nimis urgens, imbecillem et diuturno morbo maxime depreſſam feminam urgebant. Etſi etiam pulſus ſemper in moderata plenitudine et celeritate ſubſiſteret, etſi venaeſectio morbum non levare poſſet, tamen ex reſolutione putrida humorum, quae per ſtaſin tandem inducta eſt, hanc anxietatem pendere, non ſine ratione concluſimus.

Verbis non exprimere poſſum, quantis animi perturbationibus hoc ipſo die agitatus ſim. Moeror ex morte imminente et certa amatae conjugis, cruciatus ejus nullo modo ſuperabiles, deſperatio auxilii, quae nobis omnibus artem, quam exercemus, ingratam reddidit, animum maximis curis conficiebant et deprimebant. Sed acceſſit alia perturbationis ratio, ex eo, quod omni ferme horae momento novis conſiliis amicorum, medicinam ignorantium, diſtrahebar. Multi enim erant, qui, cum noſtram amarent, de remedio obſtructionis

pro-

probato cogitarent, mihique, per urbem ambulanti, ea ſuaderent, vel per amicos commendarent. Si omnia ridicula, abſona et ſaepe noxia medicamenta mihi propoſita recenſere vellem, usque ad ſuccum ſtercoris ſuilli expreſſum et alia ex ſtercoraria pharmacia deprompta deducerer. Summa profecto patientia, in his conſiliis et in hiſtoriis morborum ſimul enarratis audiendis, per ſe difficilis, juvabatur tamen inde, quod amicos et amicas non ex diffidentia in noſtras curandi rationes, ſed vero amore in aegram impulſos, haec nobiscum communicare apparebat.

Verſus veſperam increſcentibus iterum anxietatibus, tenſio ad ſpinam dorſi praecipue convertebatur, hinc inquietudo ſumma. Nec liquor anodynus ſpaſmum ad breve tantum tempus ſolvebat. Opio quidem levamen afferri poſſe putavimus, ſed breve tantum, cum non ſolum, febre inde mota, anxietatem augeri, ſed hac etiam ſuperata, ſimilem ferme ex imbecillitate nervorum ſucceſſuram eſſe, conjici poſſet. Sic nox triſtiſſima erat, cum defatigata aegra in continuis agitationibus aliquod ſolatium peteret, nullum tamen obtinere poſſet.

Summo mane diei ſecundi ſeptembris amicus medicus, qui aegrae ſuſpiriis commovebatur, cum ejus curam hac nocte benevole ſuſcepiſſet, me evigilan-

gilantem monet, ut opium darem. Cum vero perciperem, aegram nec aquae, nec infusi theae haustum deglutire posse, sed vix deglutitum iterum sine vehementi vomitu reddere et ex summo quasi pharinge eructare, dubitabam, an hoc medicamentum deglutiri posset. Sed quod cognoscebam aegram nostram opium cum aliqua levaminis spe sumere, quinque tantum grana massae pilularum de cynoglossa, aqua subacta, propinavimus. Hora tertia post usum medicamenti paullo tranquillior redebatur et per intervalla dormiebat, sed sine sopore, aestus quoque aliquantisper, minime tamen ultra modum, augebatur. Tempus antemeridianum ideo satis tranquillum erat, cum vero versus meridiem clysma emolliens ex meliloti summitatibus et floribus chamomillae cum oleo et melle injiceretur, nova anxietas et spasmorum vehementia oborta est et aegra, quae tranquillitatem matutinam per opium inductam esse cognoverat et clysmatis usu turbatam se sentiebat, similem opii dosin a me exigebat. Hora tertia erat, cum omnes amici, qui semper ferme praesentes erant, ad negotia sua secesserant. Ego itaque anxius opium dare nolebam, cum amatam, soporibus suppressam, ad tristem vitae exitum ducere nollem. Praeterea ego sem-

ſemper de poſſibili adhuc obicis remotione cogitabam, quamquam per tot remedia non ſublatus, ſed praeclufus eſſet, ut opio princeps cauſſa removeri poſſet, dum ſpaſmum ſolveret. Fateor, me hac hora ita agitatum eſſe animo, ut nulla mihi triſtior fuerit. Amata tamen conjux inſiſtebat et me per amoris conjugalis ſummam vim obteſtabatur, ne ei unicum hoc vitae ſolatium detraherem. Accedebant interea nonnulli amici medici, qui me timidum ſolatio erigebant, quorumque ſuaſu tandem quinque grana maſſae pilularum de cynogloſſa ei propinabam. Sed hoc quoque ſumto remedio, ſumma et vere ſemper aucta anxietas cum tenſionibus et ſpaſmis aegram urgebat. Suffocationem ſemper et rupturam ventris ſaepe timebat continuis ſuſpiriis agitata aegra, ut omnes adſtantes amici et medici ipſi triſtitia ſumma affligerentur, omnesque hac nocte finem malorum avide expectarent.

Et aliquoties jam in progreſſu morbi et hoc praecipue die medici nonnulli de aqua, per inteſtinum rectum injicienda et per inferiora ad locum obicis urgenda, cogitaverant, cum ex omnibus morbi phaenomenis appareret, anguſtiam quandam leniter extendendam et ſuperandam eſſe. Hoc etiam in noſtra aegra fieri poſſe videbatur, cum tenſio abdomi-

dominis in inferiori parte non tanta esset, quanta in superiori; ex qua re evidenter apparebat impedimentum non in aliqua parte tenuium intestinorum esse, sed in colo, quod per flexus hujus intestini sinistros usque ad locum sub liene sine metu anxietatis majoris efficiendae extendi poterat. Vere tamen timendum erat, obicem, in parte superiori, tanta hucusque medicamentorum copia hausta non remotum, ab inferiori parte tentari haud posse; cum contracta inter duplicem extensionem intestini pars, facile ad rupturam disponi posset. Quod jam autem metuebamus, id nunc potissimum, cum intestini coli pars vel inflammata, vel ob putridam humorum resolutionem jam in gangraenam abiisset, aegram nostram, auctis doloribus, praecipitasset. Quam ob rem cum de nulla, quam externa medicina, cogitari posset, unguentum de arthanita propositum fuit, quod in hos usus recens confici jussi, quod tamen cum tantum leniter et sine omni frictione illiniendum esset, parum profuit, ita ut tandem ne extremum quidem hoc remedium ulterius tentari posset.

Sic ultima nox tristis accedebat, in qua finem malorum a Deo ardentissimis precibus efflagitabat nostra. Pulsus celeritas hucusque vix percepta vehementer

menter augebatur, etsi vero ejus durities non observabatur, et ex ardore tactu jam percipiendo, putridam humorum resolutionem certo factam esse concludebamus, dolor tamen insignis, qui aegram, mente semper constantem, urgebat, inflammationis summae signum erat, cum humores et resoluti in partem obstructam magis impellerentur et sensiles adhuc nervos tenderent.

Accidit vero casu, ut in disquisitione ventris versus vesperam in inguine ad descensum vasorum cruralium tumor herniosus perciperetur et quanquam hoc in loco de nullo dolore conquesta fuerat, cum tamen in sinistro latere esset, in quo superius dolor urgebat, omnes credebant nos deceptos et in hernia crurali praecipuam caussam morbi positam esse. Sed aegra ipsa monebat, hunc tumorem non nisi hoc die obortum esse et ego etiam de hac re recte instructus, ei adsentiebar. Ante tredecim annos post laboriosum puerperium hernia cruralis in hoc loco orta erat, ego vero tunc temporis tantum hujus herniae reponendae et retinendae curam habueram, ut post aliquot menses tumor prorsus evanesceret. Ab hoc tempore multoties et quando de tensionibus ventris et alvi obstructione conquerebatur, amata, locum herniae attente et in vario cor-

 poris

póris ſitu diſquiſiui, ne incarceratio funeſta clanculum obreperet; nunquam autem nova incommoda inde oborta ſunt. Ante decem annos in ultimo et omnino felici puerperio, in hujus praecipue morbi initio et progreſſu, de hac re inquirenda ſollicitus eram, ſed non niſi hoc ipſo die, nova protruſio inteſtini in ſaccum herniae denuo oborta erat, quod, ſi ego quoque negligentior in obſervando fuiſſem, chariſſima tamen aegra, quae locum optime noſcebat, ſe de hac re ſollicitam fuiſſe affirmabat. Quanquam vero haec tumoris protruſio animum meum maxime commovebat, nihil tamen in aegra ex aliis cauſſis morti proxima ſuſcipi poterat, cum repoſitio herniae, ob nimias infimi ventris tenſiones, prorſus impoſſibilis eſſet.

Tranſiit igitur moleſtiſſima haec nox inter atrociſſimos dolores et anxietates chariſſimae aegrae, illa vero cum parum in lectulo quieſcere, ſimul ob ſummam imbecillitatem, nec in ſedili detineri, nec pedibus inſiſtere poſſet, tamen quod a ſitu corporis erecto aliquod levamen doloris perſentiſceret, aut in lectulum pulvinaribus altiorem redditum ventre incumbebat, aut ab amicis, qui ejus curam habebant, ipſoque medico, qui noſtram omnibus modis ſublevare

levare annitebatur, humeris levata, in erecto situ retenta vel per conclave tracta est.

Illuxit tandem dies tertius septembris nobis funestissimus, quo amata conjux, quae jam dudum finem malorum mortemque beatam expectaverat, summo mane mecum ardentissimas preces fundebat, ut Deus, qui eam tot beneficiis ornasset, et saepe in summis periculis servasset, nunc vitae finem non inter atrocissimos dolores imponeret et quasi de ejus auxilio desperantem raperet, sed ut tranquillum et blandum, doloribus remittentibus, exitum ex hac vita et ingressum ad beatam et aeternam sedem ei concederet. Tamen perdurabant adhuc anxietates, quae illam per plures dies conquassaverant et cum verbi divini minister summo mane accersitus ejus animam, solatiis ex sacra scriptura haustis, confirmare et constantiam ejus in fide etiam inter tot taedia sustinere anniteretur, ea quidem patientiam et tranquillitatem animi servabat et, se hujus solatii participem factam esse, affirmabat; corpore tamen quiescere non poterat, sed misera, vermis ad instar, corpus torquere et in mutato situ solatium quaerere cogebatur.

Hora octava frigidi accedere videbantur sudores, quos tamen mox transitorius aestus excipiebat,

ut denuo anxia redderetur. Cum autem hora nona ad eam accederem, me osculo suavissimo excepit et laeta pronunciavit, nunc finem malorum, hucusque toleratorum, adesse, petiitque a me, ut Deo supplex gratias agerem, quod eam non in mediis anxietatibus e vita tolleret, sed ante obitum aliquam requiem concederet. Imprimebat manui meae apices digitorum jam frigidos, doloremque nunc cessare affirmabat, de levioribus et cum prioribus nullo modo comparandis anxietatibus tantum conquerebatur, quas patienter et cum summa in Deum fiducia ferre posset, inprimis cum anxia et suspiriosa respiratio non amplius urgeret, nec ullus suffocationis sensus perciperetur. Quemadmodum autem jam die superiore parum deglutire poterat, sic hoc die nihil prorsus potus aquosi calidi, vel frigidi hauriebat, quod protinus sine multa nausea et nisu eructabat; sola cerevisia tenuis ad linguam humectandam hausta sensim per oesophagum descendere videbatur, quod aliquis in potu fermentato stimulus erat.

Post tot itaque dies dolorum plenissimos ultimus et moribundae gratissimus et nobis summo solatio erat, quod constantiam ejus in ultimo vitae articulo admirabamur et amatam sine dolore esse cognoscebamus.

bamus. Interdum igitur pias meditationes de morte, adhortationibus amicorum adjuta continuabat, interdum cum omnibus amicis placide colloquebatur et iis ultimum vale dicebat. Moeror, qui, dum haec ſcribo, animum meum opprimit, haud permittit, ut ea proferam, quae tranquillitatem, in beata morte poſitam, luculentis teſtimoniis declarant. Sufficiat dixiſſe, omnes amicos, qui verae et chriſtianae conſtantiae vim in hoc exemplo cognorant, ſimilem exoptaſſe mortem. Ego vero vehementiſſimo animi affectu commotus, lacrymas non ſatis reprimere poteram, illa, mei amantiſſima, blande ſubridens, lacrymas meas frigida manu detergebat, eoque momento, quo, filiis ejus manus exoſculantibus, monita cum votis maternis tradidit, nullam effudit lacrymam, ſed hos filios et futuram eorum ſortem praecipue Dei providentiae concedebat, mihique ſedulam eorum educationem commendabat.

Pulſus tunc celer quidem et debilis erat, ſed aequalis, quod exiguam, quae adhuc ſupererat, circulationis vim ſine impedimento univerſali a corde et vaſis majoribus abſolvi, indicabat. Et poſt meridiem et cum labia jam frigida eſſent, quibus interdum blanda oſcula impreſſi, ſenſus externi quodam-

modo debilitari videbantur, interni tamen ſemper vegeti erant, ita ut nulla deliria perciperentur, niſi ſuavia quaedam, quae, quieſcente ea et non nihil dormiente, intercurrebant. Ego vero optabam, ut dormiret et evigilans ultimum vitae momentum, ſubito erepta, ſentiret; timebam tamen novos inſultus ſpaſticos et recrudeſcentes anxietates. Frigus tandem ſenſim occupavit omnia membra et praeter tenſiones abdominis, ob quas ſaepe ſitum erectum corporis urgebat, ſudor frigidus ipſae moleſtus erat. Optabat ſaepius, ut, linteis mutatis, ab hoc incommodo liberaretur, ſed adſtantes amici diſſuadebant, eique dolores graves in animum revocabant, quos ante percepiſſet et hac mutatione iterum excitatura eſſet. Illa itaque poſt horam ſeptimam aliquam in ſomnum propenſionem ſenſit, ipſa enim dicebat, ſe dormire velle, ſed id ab amicis petiit, ut ſummo mane eam expergefacerent et tunc lintea humida mutarent, ipſoque hoc momento, in latus dextrum converſa, obiit.

Sic mihi erepta eſt chariſſima conjux, quae per viginti et unum annum et imbecillis et aegrota aerumnoſam meam et laborioſam vitam conſortio, conſilio et auxilio felicem reddiderat; ſic tandem poſtquam per tot aerumnas miſerae vitae agitata, ſem-

per

per tamen providentiam divinam pio pectore coluerat, mors beata et tranquilla summam felicitatem animae charae concessit.

Reliquit vero beata anima nobis corpus sic deturpatum, ut ejus disquisitionem multis rationibus permotus susciperem. Ipsa etiam aegra hoc petierat, ab amicis, cum non abhorreret a sectionibus cadaverum. Ratio saepe et nunc praecipue impeditae excretionis alvinae in sinistro potissimum latere posita, caussae inertiae bilis, constitutio herniae cruralis, curatae quidem, sed in ultimis vitae diebus rursus obortae, sine attenta disquisitione dimitti non poterant. Cum autem amata conjux sectionem post mortem, non a me, sed a quibusdam amicis petiisset, ego illis hoc amicitiae officium concessi, et id tantum mihi dari volui, ut, aperto cadavere, primarios laesionis modos ipse inspicerem. Quemadmodum autem vita conjugis aerumnosa ac laboriosa et morbus ultimus in suo progressu difficillimus erat, sic etiam libere profiteor, inter omnes sectiones cadaverum, quarum intra triginta annos plurimas suscepi, nullam fuisse, quae me simili modo commoverit. Non solum enim durum mihi erat, viscera amatae conjugis inspicere, sed ingrato hoc animi affectu superato, perversus etiam

 partis

partis laesae situs nos in errorem ducebat, ex quo post accuratam et ultra horam durantem disquisitionem nos extricavimus, morbique singularem rationem deteximus.

Denudato corpore, ambitus abdominis feminae macilentae et tenerae erat ulnae unius cum semisse et quinque pollicum, filo circumcirca ad regionem umbilicalem ducto. Longitudo fili a cartilagine xyphoide sterni usque ad os pubis ducti, tres quartas ulnae et digitos quatuor referebat. Ita vero tensa erant integumenta communia et propria abdominis, ut difficulter inciderentur, ac specillum et digitum, incisionem dirigentia, vix admitterent. Omnibus his incisis et revolutis, intestina tenuia flatibus moderate distenta invenimus et coecum, quod quodammodo eminebat, amplum quidem, minime autem ultra modum inflatum erat, colon, ubi a coeco sursum procedit, parum distentum erat, sensim vero ad mediam partem transversim, quam zonam vocamus, productum ita expansum erat, ut medius ambitus ulnae semis et quatuor digitorum esset, transversa zona a dextro latere usque ad lienem, ubi se abscondebat, ulnam unam cum quadrante et tres digitos aequabat. Omentum non deprehendimus, quod enim macilenta erat no-

stra,

ſtra, in tenerum et contractum contextum cellu-loſum, in tanta diſtenſione ferme prorſus evane-ſcentem, tranſiiſſe videbatur.

Supra colon et in utroque hypochondrio et ſcrobiculo cordis, vulgo vocato, ventriculus (hunc enim ob oculos habere credebamus, antequam falla-ciam detegeremus) maxime diſtentus, inflammatus et jam quodammodo gangraenoſus eminebat, cujus curvatura magna ulnam unam et digitum unum, am-bitus medius tres quartas ulnae et duos digitos refe-rebat. Adeo vero prominebant ventriculus et co-lon, ut ad ulteriorem partium diſquiſitionem pro-cedere haud poſſemus, niſi, puncturis acu inflictis, magnam vim aeris foetidi emiſiſſemus. In cavi-tate, quam ventriculum eſſe credebamus, multa ma-teria ſpiſſa, in zona coli praeter aerem nullae ferme foeces reperiebantur.

Colon poſtea in ſiniſtro latere ſub liene diſqui-ſivimus, illudque ad peritonaeum et diaphragma poſterius adhaerere cognovimus. Haec pars an-guſta quidem, in ipſis tamen tunicis parum calloſa erat: ſed a latere ejus et ubi accreverat, ſtriae tena-ces quaſi ligamentoſae, cum pinguedine indurata coalitae, inveniebantur. Nexum hunc dum ſolvere et continuationem coli ſub liene detegere tentare-

 mus,

mus, pars adhaerens coli dilacerata eſt et in parte abrupta, quae deorſum ad flexus coli ſiniſtros ducit, anguſtum orificium, pennam anſerinam vix admittens, deteximus, hoc tamen per rupturam contractum et anguſtius factum eſſe credebamus, cum continuatio coli non nihil amplior eſſet. Lien parvus, ſed nulla labe corruptus erat et poſt eum ſuperiorem partem coli abrupti fruſtra quaerebamus, cum illa nobis ſe prorſus ſubduxiſſet. Acceſſimus itaque ad diſquiſitionem cavi, quod ventriculum eſſe credebamus et cum ſub fornice diaphragmatis in eo loco, ubi cardia, ex oeſophago deſcendens, in ventriculum extenditur, initium diſquiſitionis facere vellemus, digitus in cavum hoc, gangraena jam ex parte corruptum, penetrabat et ſcybala tenacia tactu percipiebat; inſignem enim horum copiam expreſſimus et eduximus, quo, cavo collapſo, reliqua accuratius inveſtigaremus.

Quoniam autem in hoc cavo facile dilacerando, perverſi ſitus rationem invenire haud potuimus, ad zonam coli regreſſi ſumus, nunc, flatu emiſſo, paullo flaccidiorem, et caute a latere dextro ad ſiniſtram progrediendo ad locum obicis iterum acceſſimus, ſed perturbati vidimus, colon non tantum cum ventriculo cohaerere, ſed vere in eum continuari.

Cogno-

Cognoſcebamus igitur, cum rem impoſſibilem inveniremus, nos deceptos eſſe, cauſſam vero erroris nondum detegere potuimus, cum ſitus hujus cavi membranacei, quod a multis retro annis regionem ſcrobiculi cordis tenſam et doloroſam effecerat, non niſi de ventriculo nos cogitare permitteret. Etſi enim amici partem forte duodeni, ſupra modum extenſam, hic eminere poſſe credebant, cum a parte hepatis liberum fluctuaret et ut cardiam non oſtenderat, ſic etiam pylori veſtigia non referebat, ventriculi tamen abſentiam nullo modo explicare poteramus.

In diſquiſitione viſcerum, ſitu perverſo conſpicuorum, nullum e loco movendum eſſe, antequam vera ejus ratio detegatur, lex eſt, quam et nunc nobis injunximus. Optimum certe fuiſſet, et ſuadebant amici, ſternum ſolvere et, relaxato non nihil diaphragmate, hanc partem maximopere extenſam ſub fornicem ejus protruſam et plenius perſpicere et non nihil reclinare; ego vero animo et moerore et erroris conſideratione agitatus, amatae corpus ulterius dilacerare nolebam. Aliud igitur capiendum erat conſilium. Incidimus nimirum meſocolon, quo coli tractum eo melius dijudicare poſſemus et plane perſpeximus, hunc ſaccum, qui ventriculus eſſe videba-

debatur, veram et connexam coli partem ſupra modum extenſam eſſe.

Evacuato igitur ulterius hoc ſacco, qui morbi, mortis et erroris cauſſa erat, eoque nunc paullulum reclinato, vidimus ſub eo ventriculum verum, ſolita forma, ſed paullo minorem, nullo aere nulloque alimento repletum, nullamque calloſitatem, nec inflammationem in eo conſpeximus, quanquam ille verſus hepar dextrorſum atque retrorſum valide depreſſus fuiſſet, ita ut nec ructum, nec vomitum edere et ultimis diebus nihil ferme per cardiam in eum deſcendere potuiſſet. A cardia per curvaturas ventriculi ad pylorum ducti, duodenum quoque in vero ſitu deprehendimus et in tranſitu ad pylorum et jejunum viam ejus liberam, etſi quodammodo depreſſam invenimus. Et jejunum totum ſanum nos duxit ad convolutiones ilei ſiniſtri, cujus partem in herniam cruralem detruſam et ſphacelo affectam conſpeximus. Hoc ileum poſt partem herniae interceptam vacuum magis erat, minime vero calloſum, hinc dextrae etiam convolutiones liberae erant et tranſitus hujus inteſtini inter coecum et colon ad craſſa, naturali modo conſtituta erat. Progreſſi ſumus ad colon, ſuper renem dextrum aſcendens, poſtea ad ductum zonae coli transverſae

verſae progrediendo, pervenimus in illud cavum, quod ventriculum eſſe ex ſitu et extenſione credideramus et jam vere cognovimus, hunc ſaccum eſſe partem coli, ſub liene progredientem et ad anguſtum locum ſub liene ad diaphragma accretum, in quo nimirum loco obicem in ſiniſtro latere, durante morbo, ſemper ferme ſenſit aegra et nos etiam ſub initium morbi quaeſivimus.

Sic ex errore in viam reducti, cognovimus, a longis retro annis hanc partem coli quodammodo extenſam et continuationem hujus inteſtini ſuper renem ſiniſtrum ſimul quodammodo ſurſum ductum eſſe. Saepius enim narrabat mihi optima conjux, ſe olim magna pondera coxae ſiniſtrae impoſita portaſſe et quanquam inde, nec ſpinae rectitudo laeſa, nec oſſa coxarum inaequalia facta erant, abdominis tamen tenſiones ipſi crebrius moleſtas fuiſſe. Nos etiam colon a liene ſuper renem usque ad initia recti menſuravimus et S romanum ſive flexus coli ſiniſtros inferius magis rectos et totam longitudinem, vix ulnam ſuperantem, deprehendimus. Perſpeximus quoque, firmiorem adhaeſionem ad partem diaphragmatis ſub liene inveteratum malum eſſe, quod membranae vicinae laxae alias, pingues, contractae et calloſae erant, quanquam ipſa anguſtia in-

teſtini

teſtini non longa et in tunicis parum tantum calloſa erat. Jam dudum igitur, praecipue tamen in ultimis vitae annis, his tenſionibus et inde obortis anxietatibus agitata eſt, leni laxante et praecipue clyſmatibus parum levata. Cum enim ſemper ferme de ventriculo tumente conquereretur, ipſe tamen ventriculus in diſquiſitione ſanus et nulla labe affectus deprehenſus eſſet, cum alvus ſimul tarda et ſicca eſſet, inteſtina autem, nec anguſta, nec calloſa invenirentur, extenſam hanc coli partem a longo jam tempore perverſo hoc ſitu fuiſſe, non ſine ratione concludimus.

Die tandem viceſimo primo auguſti, qui eſt initium morbi, foeces ob inertiam bilis tenaciores et quaſi argillaceae, in hoc ſacco collectae, per viam in loco coalitionis anguſtatam non amplius tranſire poterant, ex qua re vehemens ille doloris ſenſus in latere ſiniſtro ortus eſt, nec exercitatio corporis in aere libero, nec clyſmata crebrius applicata viam peranguſtam laxabant et foeces tenaces promovebant, ſaccus igitur hic coli ſenſim in ſtupendam illam molem extenſus eſt et cuncta, quae ab eo tempore ingeſta ſunt alimenta, potulenta et medicamenta recepit.

In

In accuratiori contentorum examine copiosas foeces proxime ad angustiam deprehendimus, in quibus adeo emolliendis et urgendis, medicamenta ingesta parum praestare potuerunt, ita enim tenaces erant, ut per duodecim dies in aqua, saepe nova affusa, maceratae, non emollitae et solutae sint. In media sacci parte massa magis soluta deprehendebatur, bruno colore tincta, tandem vero nigra magis subsequebatur, a mercurio vivo in hac massa agitato et quasi subacto. Disquirendum nimirum erat, num mercurii, cujus septem uncias deglutiverat nostra, partem iterum collectam invenire possemus, sed, omni cura adhibita, ne drachmam quidem mercurii currentis colligere potuimus.

Obicem igitur, quem nostris auxiliis superare non potuimus, in angusta via et in insigni cavi nimium distenti atonia positum fuisse, aperte cognovimus et simul certe intelleximus, nullum aliud inveniri potuisse, per quod amata mea servaretur. Etsi enim via non penitus praeclusa erat et per angustatum etiam canalem foeces transprimi potuissent, cognovimus tamen, ipsum saccum mole sua hoc orificium compressisse et qui in progressu juvando necessarii erant motus, spasmo continuo excitato, densitatem obicis auxerunt,

Ad

Ad herniam quod attinet, inteſtini ilei pars demum pridie ante obitum incarcerata, paullo poſt inflammata et ſub vehementiſſimis cruciatibus ſphacelo affecta eſt. Mirandum tamen eſt, aegram ob dolores in parte ſuperiori abdominis, hos in parte inferiori vix ſenſiſſe; ſaepius enim a me interrogata reſpondit, eam hoc in loco et quodammodo preſſo nullum dolorem percipere. Hanc vero herniam jam ante plures annos obortam et ſanatam ultimis demum diebus iterum proceſſiſſe, ex eo concludi poterat, quod ante locum inteſtini intercepti hoc nullo modo et vix aere diſtentum erat, omniaque, quae, durante morbo, ingeſta fuerant, per hanc inteſtini partem ante incarcerationem tranſierant et in ſacco ſupra deſcripto demum collecta inveniebantur. Examinavimus vero portionem inteſtini interceptam, quae duorum pollicum erat inflexa et ita tota incarcerata, pars inteſtini nigra corrupta, attamen non dilacerata, in cavo autem ſacci hernioſi ſanguis reſolutus putridus haerebat. Nos vero, diſciſſo ligamento, ſub quo inteſtinum proceſſerat, hoc demum eduximus et inde cognovimus, quam difficilis fuiſſet operatio, ſi hernia citius oborta, eandem neceſſariam reddidiſſet.

Quem-

Quemadmodum vero lienem parvum, attamen ab omni labe alienum, diximus, ſic hepar ſimili modo omnes notas ſani viſceris referebat, nec mole increverat, veſicula fellea etiam, quae in ſinu conſueto adhaerebat, paullo quidem major, ſed ultra modum non diſtenta erat, etſi magnam calculorum copiam continebat. Bilis ſimul cum calculis in veſicula contenta nigra, ſpiſſa, amara, paullo tamen fluidior, quam mel erat, difficile tamen ex cyſtide et ex hepatico ductu ad duodenum tranſiiſſe, ex parvulis calculis, usque ad cholodochum protruſis, patebat. Calculi erant leves et flavi, ut biliarii eſſe ſolent, nonnulli magis pallidi, omnes quibusdam maculis nigris adſperſi. Etſi vero non omnes colligere potuerimus, ducentos tamen et ſexaginta numeravimus, quorum omnium pondus die decimo ſeptembris, jam ſicca ſuperficie, erat drachmarum quinque, granorum decem, quod vero ſenſim decreverat, ut, iis ſexto die decembris iterum ponderatis, uncia ſemis et grana quadraginta octo ſupereſſent; nimirum

2. maximi nucis avellanae magnitudine, major minus anguloſus, quam minor, ille pondere granorum viginti ſex, hic ſcrupuli unius erat.

 10. ma-

10. majores nucis avellanae minoris vel ciceris seminis magnitudine varie angulosi, quorum pondus erat drachmae unius et granorum viginti trium.
14. minores pisi majoris magnitudine, pondere granorum quinquaginta unius.
35. minores pisi minoris magnitudine, pondere drachmae unius.
193. minimi sabuli majoris et minoris magnitudine pondere granorum quadraginta octo *).

Quanquam autem haec calculorum moles, sensim increscens, futura mala inducere potuerat et jam caussa fuerat inertiae bilis, in qua tenaci et viscida, ad digestionem juvandam et fecces stimulo promovendas minus idonea, calculi facile generantur, in ipso tamen morbi progressu spasmorum caussam non fuisse persuasus sum, cum in dextro latere dolor tensivus nunquam perceptus sit. Id autem certo statui posse arbitror, pressionem, ab extensione insignis partis intestini coli jam dudum obortam, lienis et hepatis viscera, in bile bona conficienda diu impe-

*) Die decimo nono februarii hujus anni septuagesimi pondus omnium calculorum, repetito et accurato examine, vix ad granum unum et alterum imminutum inveniebatur.

impediviſſe et inertiam hujus humoris digerentis, non ut cauſſam, ſed ut ſymptoma morbi principis conſiderandam eſſe. Mutua profecto ſunt viſcerum abdominalium officia et uti flatibus diſtenta inteſtina ob defectum ſtimuli bilis ſaepe motum periſtalticum languidum exercent, ſic diſtenſiones inteſtinorum tympaniticae bilis quoque elaborationem quam maxime retardant et digeſtionis officinas in elaboratione boni chyli impediunt.

Has aliasque animadverſiones in recenſione morbi et ſectionis piae conjugis ſparſim inſerere potuiſſem, cum, amicorum conſiliis et ſermonibus inter nos collatis, de multis actum ſit; ſed cum jam nimis prolixa ſit haec commentatio, vobis pluribus digreſſionibus taedium creare nolui. Nonnullas tamen, quas jam delineavi, tractationes v. c. de cauſſis obſtructionis alvinae et remediis ei accommodandis; de differentiis anxietatis in morbis, ad nervoſam imbecillitatem reducendis, cum in vera medendi ratione ad has res reſpiciendum ſit, data opportunitate, vel in libellis academicis vel in his adverſariis tradam.

III.

Oratio de diſſenſu medicorum in commodum artis ſalutaris convertendo. Menſe majo 1759. in ſolemni doctoris inauguratione recitata.

In inſigni hominum differentia, quae nobis, inter illos cum cura et attentione verſantibus, contemplanda atque dijudicanda ſe offert, non tantum ad vultum, corporis habitum et vires, reliquasque externas dotes, ſed multo etiam magis ad diverſas animi propenſiones reſpiciendum eſſe, quilibet aequus rerum aeſtimator intelligit. Si enim de vera vitae noſtrae felicitate ſerio cogitamus et nos non nobis tantum, ſed aliis quoque vivere cognoſcimus, omnino etiam aliorum ſocietate et auxilio nobis opus eſſe apparet. Quanquam autem variae ſunt hominum propenſiones in vitae genere, amicis, victu et aliis rebus, ad commoda et neceſſitates vitae hujus pertinentibus, acquirendis; quamquam diuerſae eliguntur viae, quibus ad felicitatem publicam et privatam perveniri quidem arbitramur, in omnibus tamen iis recte et ſemper definiendis perſuaſum nobis habemus, regiam et unicam veritatis et viritutis viam eſſe ingrediendam.

Qui

Qui vanitate gloriae, voluptatum illecebris, divitiarumque ſplendore delectantur, opinatam felicitatem captant, veram negligunt, nec unquam ſerio perpendunt, nos non nobis ſolis, ſed et aliis vivere; in colendo Deo ſummam et in ſtudio, amicis et civibus inſerviendi, non minorem felicitatis ſenſum poſitum eſſe et ita demum, ſi vitam noſtram Deo probatam et aliis utilem reddamus, ad veram animi tranquillitatem, maximum vitae ſolatium nos adſpirare poſſe. Diſſenſum in vera felicitate definienda doctrina moralis, philoſophica et chriſtiana genuinis ſcientiae primae fundamentis innixa componere valet. Haec indubitata vitae commoda ob oculos ponit et virtutis verae ſtudioſos eo impellit, ut unanimi conſenſu in publica felicitate conſervanda animi corporisque vires intendant, cum ex ea etiam privata ſalus oriatur.

Etſi vero viri docti, qui veram ſapientiam colunt, in rebus humanis accurate aeſtimandis et ad ultimum finem referendis, attentius verſantur, imbecillitas tamen, nunquam a rebus humanis aliena, in adjumentis eligendis et fine definiendo, judicii ambigui et oborti inter eruditos diſſenſus cauſſa eſt, qui non ſolum in graviorum rerum diſquiſitione, ſed etiam in negligentiori vulgi conſideratione cer-

nitur. Haec judicii inconſtantia interdum in eruditorum opprobrium ſic vertitur, ut iis objiciatur, eos de rebus omnibus dubitare, inter ſe diſſentire, ideoque nunquam ad veram rerum cognitionem pervenire.

Et profecto nulla eſt ſcientiae humanae pars, quae experiundo diſcitur et cogitando excolitur, quin ex variis opinionibus hominum doctorum diſſenſum habeat. Audiatis interpretes legum divinarum et verae religionis ſtatores, quantum in explicatione rerum diſſentiant. Nonne a multis retro ſeculis haereticorum multitudo eccleſiam veram ita perturbavit, ut cordatiores theologi in evertendis et refellendis opinionibus profanorum hominum plus temporis, quam in explicandis et dilucidandis verae religionis dogmatibus impendere teneantur. Leges civiles, a magiſtratibus ſancitae, per ſe faciles et ad ordinem et tranquillitatem rerumpublicarum conſervandam praeſcriptae, tantis tamen interpretationum diſſenſionibus agitantur, ut continuae ferme controverſiae de eorum uſu, in variis vitae partibus, obortae fuerint. Quae cuncta et inde oriunda felicitatis publicae impedimenta nunc fuſius declarare mearum partium non eſſe cenſeo, cum erudita illarum rerum cognitione non imbutus, certo eas dijudicare nequeam.

Ad

Ad medicos potius me converto, quorum non diſſenſus modo, ſed et cauſſas diſſentiendi toties cognovi. His quidem nulla lex ſcripta eſt, ſed naturae univerſae et ejus operum et virium contemplatio normam ipſis praeſcribit, ad quam omnia ita iudicanda ſunt, ut, collectis obſervationibus, non ſine magna utilitate et conſervare ſanitatem et reſtituere poſſint. Verum, etſi naturam et vias ejus non ſemper aſſequi obſervando et cogitando poſſunt, cum interdum lux nimis ſplendida oculos hebetet, interdum nimia rerum obſcuritas diſquirentibus caliginem offundat, tamen jam in obſervatione illorum phaenomenorum ſe offert differentia, ut, quod ſenſu percipi videatur, non ſemper certum ſit, ex qua re per ſe inſignis et longe major in uſu ipſo, oboritur diſſenſus. Quanta diverſitas in rerum cauſſis perſcrutandis et definiendis? quanta varietas in effectibus eorum ordinandis et dijudicandis? quanta diſcrepantia in concluſionibus eliciendis? quanta ergo difficultas in ſcientiae medicae principiis et fundamentis ſtabiliendis confirmandis et exponendis?

Non tantum vero in medicina addiſcenda et excolenda opinionum divortiis diſtrahimur; ſed cum ad agendum ventum eſt, tum demum diſſenſus medentes maximopere anxios habet. Hi enim ad lectulos aegro-

rum vel dubitando agitantur, vel cum aliis medicis consultando controversiis irretiuntur et ita haud raro et aegros et aegrorum amicos, qui dissensum ipsum non ejus rationes perpendunt, in metum conjiciunt, ut de medicamentorum, post hunc dissensum electorum, effectu desperare incipiant et saluti aegrorum parum consultum esse arbitrentur. Verbis vix satis exprimi potest, quanta inde in culturam et exercitium artis redundent damna. Controversiae enim a medicis eruditis motae, non nisi a sapientioribus dijudicantur et componuntur, quod si vero ex ignorantia rerum et negligentia accuratae observationis excitentur et in altercationes et publicas atque privatas inimicitias transeant, arti salutari tandem opprobrio sunt.

Equidem horum dissensuum exemplis enumerandis, molestus Vobis esse nolo, quanquam enim nonnullis risum, veris tamen medicis et mihi ipsi bilem moverem, nec oratio ullum fructum promitteret, id potius agam, ut, fontibus veri dissensus medicorum detectis, ostendam, quomodo ille, si recte tractetur, in verae medendi artis commoda converti queat. Difficilis et ampla omnino est res, cum non tantum controversias ratione cognitionis et applicationis regularum artis motas, componere, sed adjumenta etiam, quae ad hunc finem ducunt,

optima

optima declarare debeam. In tanta vero rerum copia, quae mihi se offert consideranda, selectu utar et primaria doctrinae capita tangam, quibus in universum propositis, cetera et singularia facile cognoscuntur. Confidenter itaque spero, Auditores humanissimos hos meos conatus favore audiendi adjuturos et aequo animo excepturos esse, cum intelligant, quanta sit praestantia medici, qui controversiis, in variis doctrinae partibus motis, ita uti didicit, ut medicam scientiam non obscurent, sed variis adeo modis illustrent. Doctrinae etiam nostrae alumnis denuo persuadebitur id, quod haud raro in exponendis doctrinis medicis exemplis illustravi, in vehementissimis controversiis, cum medici contrarias saepe partes tenent, mediam viam, a contentioso dissensu alienissimam, eligendam esse.

Mihi autem, dissensum medicorum ad optimum finem, hoc est, ad veri inventionem ducturo, in caussas ejus quodammodo inquirendum esse praevideo. Contemplatio corporis humani sani et aegroti ejusque nexus cum externis rebus, quae nos ambiunt et varia ratione corpus humanum afficiunt et mutant, animum medici ita instruit, ut normam inveniat, ad quam sanitatis conservationem consiliis, restitutionem remediis juvat. Sed accurata haec,

naturae indagatio ardua eſt, nec a quolibet imperito ſuſcipi poteſt, ſed exercitatum animi corporisque viribus egregie inſtructum poſtulat inveſtigatorem. Copia enim et differentia rerum contemplandarum et varietas cauſſarum, quas natura in corporum mutationibus efficiendis ſequitur, tantam exigunt curam, ut nec ſagaciſſimus ſcrutator omnes naturae vias ubique rimari queat, quamobrem pauci tantum ad aliquam, et in arte facienda utique neceſſariam, effectuum naturae cognitionem perveniunt. Quicunque igitur naturam fugitivo oculo ſequuntur, illi omnem ejus modum non certo cognoſcunt, ſed obſcuris ideis impediuntur, phaenomenorum copia et inconſtantia ſaepe turbantur, ideoque concluſiones, quas ex his elicere tentant, utplurimum dubias reddunt. In primo itaque adſpectu nunquam acquieſcendum eſt, ſed ſingula phaenomena, quoniam fundamenta demonſtrationum exhibent, ſtudioſa et repetita perluſtratione aeſtimanda et ordinanda ſunt. Cum enim nos in obſervando ſaepius deceptos videamus et res cognitas in uſum haud convertere queamus, vere diſcimus, non niſi recte collectis et repetitis obſervationibus inhaerendum eſſe, ſi ad certam ſcientiae medicae cognitionem adſpiremus.

Sed

Sed etiamſi multa doctrinae noſtrae capita ſtudioſe coluerimus, et varia ex illis experiundo confirmaverimus, aucta tamen rerum copia et ubertate naturae, ac varietate in phaenomenis percepta, non ſemper bene utimur cognitione, non ita comparamus invicem res et digerimus, ut ab iſta multitudine plane nihil incommodi metuendum videatur. Conjungimus ſaepe ideas, quae conjungendae non erant, alias ad nexum plane neceſſarias negligenter omittimus et ita ſaepe prae imbecillitate virium omittimus vel obiter attendimus eas res, quae ad concluſiones eruendas praecipue faciunt, cum interea perſuaſi ſimus, nos omnem propoſitionum nexum accurate diſquiſiviſſe, decepti ad errores deducimur, quos occoecati quaſi defendimus et ſaepe ex alio errore in alium devolvimur.

Interdum ab opinionibus his falſis nos revocat Virorum clariſſimorum diſſenſus, qui, etiamſi nobis ingratus ſit, nec animos noſtros penitus inclinet, ex ea tamen parte nobis utilis eſt, quod nos ad obſervationes et tentamina caute repetenda impellit. Omni itaque rerum nexu denuo perpenſo, vel convicti aliorum, etſi nobis contrariam, ſententiam probamus, vel limitandis iis, quae olim ubique valere viſa erant, nosmetipſos corrigimus. Cum ita-

itaque nonnullis exemplis moniti perſpiciamus, nos in errore perſeveraſſe, niſi diſſenſus aliorum nos in viam reduxiſſet, hanc correctionis rationem ſaepius ſequimur et, ut alii de noſtris opinionibus dubitant, ſic nos quoque de rebus accurate perpenſis ſubdubitamus, quo melius in iisdem confirmetur animus et ad conſtantiam ſapienti viro dignam deveniat.

Si in ſcientia naturali et medicina colenda omnes naturae indagatores phaenomena pari oculorum et mentis acie contemplari poſſent, ſi omnes in ordinandis propoſitionibus praemiſſis et concluſionibus inde eruendis, aequali animi contentione uterentur, nullus omnino inter eos diſſenſus oriretur; ſenſus eorum naturae phaenomenis ſimili ratione afficerentur et mens ubique vera rerum cognitione inſtrueretur. Cum autem vires cognoſcendi veri adeo diverſae ſint et phantaſia, nimis excitata, diſcordes ſaepe et fallaces imagines admiſceat, in cultura ſtudiorum diſſenſus evitari nequit.

Neque tamen incondita diſſentientium turba nos in accurato rerum ſcrutinio perturbari patiamur, ſed non niſi dubitationes a viris doctis et in obſervando et dijudicando exercitatis motae, nos impellant, ut diligentius in res proponendas inquiramus. Quanta quaeſo eſt differentia hominum doctorum,

qui

qui ad rerum naturam quaerendam et declarandam animum applicant, ratione intellectus et voluntatis? Quot ſunt, qui apertis oculis non videant et phaenomena luculenta, crebrius oblata, haud percipiant ac tamen de rebus parum cognitis coeci judicent. Ejusmodi homines locum inter eruditos immerito ſibi vindicant, cum non niſi loquacitate excellant. Sunt tamen multi, qui, ſi ex inſtitutione praeceptorum vel ex libris, obiter perluſtratis, rem quandam animo impreſſerint, eandem ſine ulteriori examine et acriter quidem, defendant, centies iterum effutiant, omnibus moleſti, qui non ſimili ratione cogitant et docent. Hi ergo, quoniam vim veri non ſentiunt, nec ſtudia noſtra diſſenſu ſuo turbare poſſunt, ad aniculas blaterantes amandandi ſunt.

Aliud naturae indagatorum genus verae ſcientiae naturali inſigne damnum affert, cum ſpecie accuratiſſimae diſquiſitionis non niſi figmenta proferat. Hi effectus rerum naturalium nunquam ab aſſidua, ſed negligentiore tantum phaenomenorum naturae contemplatione repetierunt, ſenſus in rebus perſpiciendis nunquam exercuerunt, ſed excitatam ingenii vim, in evolvendis rerum cauſſis omnia definire poſſe contendunt. De rore diſputant, utrum matutino tempore ex terra aſcendat, an potius ex

atmo-

atmosphaera descendat et in lite dirimenda ad mediam usque noctem librorum lectioni inhaerent, res ibi declaratas continua cogitatione prosequuntur, auroram ipsam nunquam vident, nec utramque foliorum superficiem irroratam esse animadvertunt. De usu partium corporis humani differunt, sed dissectores reformidant et spurcitiem anatomicam, quam dicunt, horrent. De mixtionibus corporum loquuntur, carbonum tamen pulvere digitos inquinare nolunt, ne libros forte, ex quibus cognitionem anatomicam et chemicam repetunt, impuris manibus maculent. Hi omnes, quod, vera naturae contemplatione neglecta, sola librorum lectione erudiri cupiunt, dissentientes semper auctores evolvunt, ideoque sua culpa ad continuum dissensum compelluntur, in ea re inveniendi veri normam quaerunt et audacter affirmant, verum in rebus non nisi disputando erui posse et debere. Cum vero rerum physicarum et medicarum investigatores intelligant, rationem demum experientiae successisse, facile cognoscunt, ejusmodi disceptationibus frivolis scientiam rerum naturae magis impediri, quam provehi, nec veram scientiam, quam ipsi naturae, per opera sua nos erudienti, debemus, inde expectari posse. Qui itaque omne studium in meris hypothe-

pothe-

pothesibus inveniendis et audacter defendendis impendunt, sibi et corruptae phantasiae relinquendi, nec corrigendi sunt, viam enim omnis correctionis fugiunt, certum non quaerunt, falsum non cognoscunt, sed dissentiendi fervore sibi solis placent.

Quoniam autem ad naturae sacra arduus accessus est et iis quoque indagatoribus, qui serio in corporum indolem et mutationes inquirunt, vel destitutis multitudine subsidiorum, ad observandum necessariorum, vel privatis opportunitate observata repetendi, multae dubitationes relinquuntur, quae tandem dissensum pariunt, quod ex observationibus mancis et incertis certae conclusiones erui nequeant, hi in veri indagatione adjuvari debent et possunt. Si nempe ingenui, honesti et diligentes naturae indagatores, in disquisitionibus rerum naturae ad falsas sententias deflectunt, suspicione quadam erroris mota, se extricare annituntur, ideoque dissensum exercitatissimorum virorum attendunt, quo per eum melius instruantur. Hi, quod non sibi sapiunt, sed correctionis cupidi sunt, facile convincuntur et in veram viam revertuntur, uno enim vel altero naturae phaenomeno melius perpenso, non errorem solum, sed ejus quoque caussam cognoscunt. Hi ex doctoribus fiunt discendi cupidi, ex dissenti-

tienti-

tientibus amici et in verum naturae tramitem deducti, in indagandis rebus cauto gressu nobiscum progrediuntur. Et eo libentius amicae admonitioni cedunt, quod et nos in dissensu illis cedimus et in erudito certamine vinci aut vincere aeque honori ducimus, dummodo certum aliquid inveniatur aut verisimilitudo magis confirmetur.

Evolvatis quaeso amici, eos libellos, quibus physicorum et medicorum controversae sententiae exponuntur et diversos dissensus effectus, vivis coloribus depictos, invenietis. In multis fastus et confidentia suarum virium, contumax opinionum defensio, injuria convitia in dissentientes conjecta omnes paginas replent, nullibi vero persuasio ex phaenomenorum claritate elucescit. Evolvatis veteres, qui ex auctoritate HIPPOCRATIS et GALENI disputarunt, qui horum virorum placitis coeci inhaeserunt, non aliorum experientiae et signis morborum certis fidem habuerunt, sed rationes physicas finxerunt, ideoque controversias anatomicas et res oculorum acie dijudicandas atque confirmandas, ex obscuris eorum verbis repetere et componere ausi sunt. Similes et forte acriores dissensus in recentiorum libris invenietis et quantum studium veri iis retardetur ac prorsus impediatur, per-

spi-

ſpicietis. Deprehendetis tamen alios, qui in recenſendis obſervationibus accurati et attenti ſunt; qui hac arte veras naturae vias detegunt et, ubi tandem ad concluſiones deferuntur, eas caute colligunt, dubitant, rationes dubitationis recenſent, amicas correctiones admiſcent, pravas ſententias, antea defenſas, nunc melius edocti, candide deponunt, ſe ipſos corrigunt, alios benigne monent, in horum certe libris vera ſcientia phyſica et medica eluceſcit et in innumera commoda propagatur. Inventorum veritas et conſtantia in rerum natura declaranda nunquam magis tenetur, quam ſi auctores, qui antehac contrariam ſententiam propoſuerunt et acriter defenderunt, nunc aliorum diſſenſu mutati, incertis repudiatis, certiora ſtatuunt.

Ex his intelligatis, commilitones diſcendi cupidi, quomodo in cultura ſcientiarum medico-phyſicarum de omnibus ſapienter dubitare et tamen indefeſſo pede in veritatis ſcrutinio progredi debeatis, et moniti cognoſcatis, quomodo diſſenſus eruditorum virorum naturae diſquiſitionem ejusque ad communem vitam uſum juvet et facilem reddat. Normam itaque habebitis, ad quam diſſenſus et controverſarum opinionum examen componi debeat, quo in obſcuris ſaepe rebus tandem veritas eruatur.

Quemadmodum autem ex his patet, quo modo diſſenſus doctorum in ſcientia naturali et medicina ad optimum exitum, ad ſedulam nimirum harum diſciplinarum culturam, perduci debeat, ſic diſſenſus medicorum, artem facientium, ſimili ratione ad confirmandam artem et ſalutem aegrorum converti poteſt, dummodo nec a virtute, nec a doctrina abhorreat. Etſi igitur ad finem orationis me jam deductum eſſe ſentio, audientia tamen veſtra, Auditores humaniſſimi, me non abuſurum arbitror, ſi de diſſenſu medicorum in arte facienda quaedam ſubjunxero. Non dicam de moroſis cenſoribus, ſemper pugnantibus et nodum in ſcirpo quaerentibus, qui et tum moleſti ſunt, cum cauſſae, ſymptomata et ſigna inde eruenda adeo aperta ſunt, ut dubitationi nullus detur locus, cum remedia eligenda adeo facilia et tuta ſunt, ut vix repugnantia cogitari queant. Ejusmodi diſſenſum in ſenioribus medicis interdum patienter feramus, in junioribus blaterantibus fugiamus, ſi vero juſtae dubitationis rationes obveniunt, tunc in curando attentiores ſimus. In morbis complicatis, cum praeſertim praecipuarum cauſſarum ignorantia, ſymptomatum nimia varietas et ſigna inde eruenda haud raro ſibi invicem contraria ſunt, medici ſaepe ita in ambiguo relinquuntur,

tur,

tur, ut vel exercitatiſſimi viri optimique amici diſſentiant. Qui diſſenſus, iis communi ſtudio in ſalutem aegri conſpirantibus, eo magis moleſtus eſt, quo magis in praecipiti malo ſaepe ex inſtanti ſubſidia ſanitatis reſtituendae eligenda ſunt, neque tempus conceditur eruditis diſquiſitionibus opportunum.

Fateor, Auditores, me in tam triſti aegrorum ſtatu dijudicando ſaepe ipſum dubitare et, ſi ſolus curationi praeſim, ita ſaepius ambiguum haerere, ut conſilia amicorum medicorum laetus accipiam; difficillima enim res eſt, ſuam ipſius dubitationem ac velut diſſenſionem recte perpendere et penitus corrigere. Quod ſi vero eruditi et ſalutem aegri unice quaerentes medici in dubio rerum ſtatu omnes animi vires in accuratam medendi methodum convertunt, haud raro in tenebris lucem et in ambiguo curationis eventu verum remediorum ſelectum inveniunt. Morbi nimirum initia repetunt, mutationes ejus varias perpendunt, ſymptomata praecipua attendunt, cum cauſſis conferunt et ita mutuo ſtudio motus naturae, quamquam ſaepe in obſcuro poſitos, vel moderantur vel juvant, ideoque haud raro caute experiundo ad felices curationes tendunt, nec coeci electas medendi rationes ſequuntur.

 Prima-

Primaria nimirum medicorum cura eſt, in indolem morbi inquirere et ita de ejus diagnoſi aliquid certi conſtituere. Evenit interdum, ut in complicato morbo, alius medicorum alio nomine utatur, facile tamen, ſi liberales fuerint et mites, in vera idea morbi conſpirabunt. Si enim perpendunt, ſymptomata quaedam primaria, aegro prae reliquis moleſta, ex una cauſſa oriri, protopathicos et devteropathicos morbos ſe invicem excipere et, poſterioribus ſe evolventibus, priores adhuc vigere poſſe, recte utique intelligent, in ea re non verum adeſſe diſſenſum, dummodo enim, re aliter perſpecta, via ad diagnoſin cauſſae proximae aliquo modo attingatur, omnis diſſenſus tollitur.

Auxilium aegro ferendum tamen non citius eligitur, quam cum de prognoſi enuntianda et ex ſuis ſignis comprobanda conveniat inter medicos. Arti ſalutari omnino opprobrio eſt, ſi unus medicorum vitam promittat, alter certam mortem praenuntiet. Quanquam enim in ſumma morborum vehementia vita hominis haud raro in ambiguo poſita eſt, ideoque certus morbi eventus praedici nequit, ea tamen ſemper eſt rerum conditio, ut in alterutram partem, vitam aut mortem, magis minusque vergat aegri diſpoſitio, qui, licet non raro morti proximus videatur,

deatur, tamen, emergentibus interdum occultis viribus vitae, ſalvus et patriae et amicis redditur. Si igitur medici cauſſas dubii eventus ex virium vitae et morbi aeſtimatione indicant, diſſenſus eorum ita coercetur, ut etiam ſolatio ſit et aegro et amicis ejus, et ipſi medici de ſuſtinendis viribus reſiduis ſolliciti eſſe poſſint.

Quicquid vero dubitationem quandam in judicio ſuper praeſenti et futuro aegri ſtatu movet, illud etiam indicationem medici, ſive quid in aegro praecipue mutandum ſit, definire haud permittit et continuos diſſenſus alit. Saepe tamen in ſignis anamneſticis, ex cauſſis antecedentibus petitis et inter ſe et cum progreſſu ſymptomatum collatis, tot indicia apparent, quae ad methodum medendi, niſi certam, tutam tamen ducunt. In nimia enim copia rerum, quae ſui correctionem exigunt, ſymptomata aegri ipſa nos movent, ut, cum non omnia ſimul corrigere queamus, ad unum et alterum ſaltem reſpiciamus, ut illi mutationi prae reliquis faveamus, quae nos ad alteram eo facilius ducit. Perpenſis igitur omnibus aegri incommodis, quae in univerſum levari debent, varia inveniuntur, quae prorſus mutari nequeant, alia, quae mutationem praecipue urgeant, in his maxime expendendis hae-

 reant

reant medici diſſentientes, ulteriorem morbi progreſſum patienter expectent, ita paucis ſaepe horis praeterlapſis, aut de medela morbi deſperandum eſſe perſpicient, aut tales eventus cognoſcent, quibus ad indubitata quaedam auxilia vocantur.

His autem diſſenſibus ſaepe ex voto compoſitis, in remediis eligendis alia rurſus oritur controverſia. Apparatus enim medicamentorum tantus eſt, ut unus medicus haec, alter illa ſuadere ſoleat et haec diverſitas medicamenti exhibendi, ad doſin ipſam, propinandi tempus et intervalla extendatur. Dummodo vero medici in cognitione remediorum phyſico-chemica recte verſati ſint, diſſenſus facile tollitur, ſi perpenderint, habere medicinam remedia quaedam heroica, unica certe in ſuo genere, quae non mutari, ſed ex bonitatis notis dijudicari et aegris pro ratione morbi temporum propinari poſſint et debeant; eſſe item alia, quae ſimilitudinem quandam indolis viriumque habeant, ex quibus unum alteri ſubſtitui poſſit. Priora ſumme neceſſaria ſunt, reliqua cujuslibet medici arbitrio relinquenda, exercitatus itaque medicus recte cognoſcit, utrum diſſentienti amico cedere, an uſum ſelecti cujusdam medicamenti urgere debeat, ita, ut diſſentiendo tandem efficaciſſimum remedium inveniatur.

Ex

Ex iis igitnr, quae breviter a nobis indicata funt, luculenter apparet, exercitatiſſimorum et amicorum medicorum dubitationibus et diſſenſu, ingenium ad varia remedia diſquirenda excitari et judicium acui, ut ex magno apparatu medicamentorum optima demum eligantur et in commodum magis, quam detrimentum aegri cedant.

Sed perpendatis etiam Auditores, quanta in his recte exequendis exigatur eruditionis et virtutis vis. Non ex hypotheſibus et vanis nonnullorum opinionibus, experimentis vagis ſuffultis, ſed ex ordine doctrinae nexuque omnium diſciplinarum, quae verum ſyſtema medicum tradunt, res omnes aegro ſalutiferae declarandae ſunt. Ex fundamentis artis conſilia noſtra eruimus et alia dijudicamus, ex iis quoque noſtrae medendi rationes ab aliis medicis examinantur: niſi itaque haec in ſcholis medicorum jacta ſint ex difficultatibus, in facienda medicina oboriundis, nos extricare haud poſſumus.

Animus vero medici in colenda et facienda medicina ad virtutis normam et amicitiae leges gubernandus eſt. Non tantum noſtrae imbecillitatis memores ſimus et ideo in dijudicandis rebus caute verſemur, ſed in iis agendis aegri ſalutem, conſervationem, dolorum levamen unice quaeramus; mo-

res eorum, qui nobiscum finem curationis respiciunt, sive medici sint, sive alii amici, recte examinemus, omnes blanda humanitate in nostras partes trahamus et dum boni medici officium exsequimur, etiam boni civis et optimi amici exempla factis nostris serio exprimamus. Exercitium artis in se arduum et difficile, non solum aegrorum perversis moribus difficilius redditur, sed medicorum quoque ignorantia, negligentia, pertinacia, arrogantia, iis, qui ad ultimum curationis finem tendunt, impedimenta haud vulgaria objiciunt. Ne ergo negligatis, Medici, sapientiae et virtutis studium, serio cogitetis, quam varia sint vestra officia in cura aegrorum et omnes animi vires eo intendatis, ut, quae una vestra laus est, conservatores generis humani inveniamini.

IV. Dis-

IV.

Dissertatio de topicorum medicamentorum usu in variolis.

Variolae, morbus, veteribus forte prorsus ignotus, in ortu suo et progressu singularia omnino phaenomena offert. Ipse enim etsi in universum quidem cum morbis exanthematicis febrilibus convenit, multa tamen in inflammatoria et contagiosa sua indole et variis morbi per stadia sua mutationibus ostendit symptomata, ipsi solum propria. Cum itaque variolae attentam medicorum considerationem omnino postulent, optandum sane est, ut medicus in facienda medicina exercitatus, qui hunc potissimum morbum crebrius observavit, recentiorum medicorum scriptos hac de re libros judicio perlustraret, eo quidem consilio, ut, collatis iis, quae a recentioribus animadversa sunt, cum veterum observationibus, historiam medicam morbi variolosi conscriberet. Equidem scio, experientissimum GREDING, cum olim Zwickaviae medicinam faciebat, hujus laboris periculum facere coepisse, nec pauca in hos usus collegisse; ab eo tamen tempore, quo ptochotropheo Waldheimensi praeest, hos labores seposuit, propterea quod ob-

ſervationibus de curatione epilepticorum, melancholicorum et maniacorum morborum eſt intentus, ſicut ex ſpeciminibus in his adverſariis medico practicis patet. Et profecto hic labor tanto difficilior nunc eſt, quanto magis inde a viginti circiter annis, inſitio variolarum, antea modo tentata, varie defenſa et impugnata eſt. Tantos enim in diverſis inſitionis methodis ſucceſſus habuit, ut in omnibus ferme Europae linguis editi ex hoc genere libelli, deberent ab illo, qui aliquid boni velit hac de re ſcribere, conferri.

In univerſum itaque certum eſt, contagium varioloſum ſpecificae ſive ſingularis indolis eſſe et, ſemel natum, varia ratione propagari; febrem utplurimum moderatam incendere et, maculis cutaneis effloreſcentibus, inflammatis, ſuppuratis et tandem exſiccatis, ſtadia ſua abſolvere. Per haec ſtadia in hominibus de reliquo ſanis, nullaque cacochymia nec ſubtiliſata, nec maligna infectis, in diſcretis ſemper, in copioſis ſaepius ſine multo incommodo tranſit, in copioſiſſimis et confluentibus peſſima crebrius ſymptomata conjuncta habet, ſed tum etiam in corporibus ceteroquin ſanis, nec perverſa medendi methodo turbatis, tardius quidem progreditur morbus, ſed tandem ſanatur. Si vero alia quae-

quaedam cacochymia in corpore eſt, tunc illa vel interea quieſcit, vel per febrim varioloſam ſimul evolvitur et tum ſaepius adeo maligna ſymptomata ſuccedunt, quae mortis cauſſae ſunt.

Ardua eſſet, ſed maxime utilis, diſquiſitio, ſi in varioloſis potiſſimum obſervaretur, qua ratione variae cacochymiae ſe evolverent, vel, durante morbo, quieſcerent; ſed vera indoles cacochymiarum, ex mixtione dijudicanda et idioſyncraſia hominum, his affectorum, adeo obſcura ſunt, ut ſigna, quae interdum patent, vaga maneant et maxime incerta.

Scabiem, durante morbo varioloſo, evanuiſſe et exſiccatam eſſe, febrim quartanam intermittentem prorſus interceptam fuiſſe, experientia me docuit, ſed ſimul perſpexi, finito morbo varioloſo, ſcabiem et quartanae paroxyſmos regulares rediiſſe. Infantes atrophicos ex acido, non ſubacto, in rachitidem proclives, variolis maxime diſcretis, nullisque ſymptomatibus malignis affectos fuiſſe, obſervando cognovi, morbi tamen primarii vis non fracta eſt, ſed languores continuati poſt multos menſes mortis cauſſae erant. Poſt variolas ſuperatas ſaepe ii, qui diſcretis affecti erant, perinde atque ii, qui confluentibus laborabant, ad languores continuatos et

mor-

morbos chronicos diſpoſiti fuerunt. In his tamen omnibus diaetae neglectus attendendus erat. Has et ſimiles ab amicis communicandas obſervationes, data opportunitate, in ordinem redigere tentabo, hac autem exercitatione uſum topicorum remediorum in variolis examinabo.

Variolae ex miaſmate, in humoribus ſuſcepto et evoluto, oriuntur, verum non ſolum ſuperficiem cutis, ſed ipſam potius ejus texturam afficiunt. Puſtulas enim veras inflammatas et ſuppuratione mutatas, poſteaque exſiccatas, in curatione recte ordinanda non ſolum internis, ſed externis quoque remediis adjuvandas eſſe, multi ſunt, qui arbitrentur. Quae quidem ſententia, quanquam non eſt neganda, tantis tamen finibus circumſcribenda videtur, ut operae pretium judicemus, quosdam nunc ſtatuere. Equidem hoc argumentum in diſſertationibus academicis fuſius excutiendum mihi ſumſeram, quod autem praevidebam, eſſe nonnullos ex amicis noſtris, qui auctoritate aliorum medicorum commoti, ſaepe a me diſſentirent et externa remedia crebrius adhiberent, obſervationes noſtras cum variis doctrinae medicae capitibus contuli et brevem hanc tractationem adverſariis noſtris inſerui, quo ii, qui contrariam ſententiam obſervationibus convicti,

tuen-

tuentur, ſuam medendi methodum confirmarent et nos et alios inſtruerent, quorum etiam monita his adverſariis inſerere non dubitabimus.

Diſquiramus igitur primum balnea, pediluvia et fomentationes ſimiles, ante ingreſſum variolarum vel iis jam imminentibus, applicanda. Quemadmodum enim in omnibus ſanis, quorum etiam cutis ſpurcitie non nimis inquinatur, balnea, perſpirationem blandam et aequalem efficientia, egregium uſum habent, ideoque in variis morbis interdum calida, interdum ſubfrigida, interdum frigida ſuadenda ſunt; ſic etiam ii, in quibus infectio varioloſa vel naturalis vel artificialis inſtat, a medicis dijudicandi ſunt, utrum ad immunditiem cutis detergendam, an ad cutim denſam relaxandam, an ad eam laxam roborandam varia et calore et frigore temperata balnea adhibenda ſint. Neque vero de his prophylacticis balneis ulterius diſputabimus, utrum aqua putealis, fluviatilis, medicata martialis, an lacte, ſapone et decoctis emollientibus aut roborantibus magis medicatae redditae aquae ſeligi debeant; haec enim aliaque in tempore, duratione balneorum, obſervanda monita, curae prudentis medici plane committimus, ne argumentum, a nobis tractandum, modum excedat.

Quod

Quod ſi vero aegri in contagii-ſtadio jam conſtituti ſunt, vel eruptio variolarum ipſa imminet et febri plus minus inſigni dirigitur, tunc quaeſtio de balneis applicandis majores habet difficultates. Si enim perſpirationem blandus ſudor excipit, certum eſt, contagii varioloſi partem perſpirare, partem in cute haerere et progreſſum morbi in hoc ſtadio optime ſuccedere, quoniam mollities cutis moderata blando tepore conciliatur. Ubi vero, ut fit interdum, accidit, ut cutis ſicca et febris valida reperiantur, tum emollientes fotus et balnea ſimilia tepida exigunt, atque ſi cum ſudore largo viſcido, in cruditate adeo noxio, anxietas febrilis intenditur, ſubfrigido et roborante balneo magis opus eſt. Rebus vero ſic ſe habentibus, atmoſphaerae varietas in balneo, in quo aqua corpus ambit et in aere, poſtea corpus cingente, omnino maxima cum cura attendenda eſt, ſi finem noſtrum aſſequi velimus. Leviores certe aeris viciſſitudines horrores in cute tunc valde ſenſili excitant, quae excretionem cutaneam, in aequilibrio ſervandam, turbant. Febris profecto ex horroris ſtadio ad calorem jam progreſſa, novos et intercurrentes horrores difficulter admittit, propterea quod iis non ſolum cutis nervi ſtringuntur, ſed nervoſum ſyſtema convellitur. Id quidem conſtat,

ſtat, quod corpus, poſt balneum moderate tectum, perſpiratione blanda afficitur, calorque febrilis temperatur, attamen non ſemper evictum eſt, utrum miaſma ſolum varioloſum, an aliud ſimul acceſſorium moveatur, quod hac ratione ad ulteriorem evolutionem diſponitur.

Nos quidem non latent obſervationes nonnullorum medicorum, qui, aere frigidiuſculo admiſſo, vel balneo ſubfrigido eruptionem variolarum adjuverunt, et concedimus, horum interventu, cutem laxam roborari et febrim nimiam temperari; ſed, nonne regimen moderatum in calore aeris, per conclave frigidiuſculum et per ſtragula leviora nobis, ſine multo balneorum apparatu, idem commodi praeſtat? nonne febris aucta potu frigidiuſculo, acidis et nitroſis ſatis compeſcitur? Nobis tamen nota ſunt exempla, ubi mortis ſubſequentis cauſſa in balneum, tempore eruptionis variolarum applicatum, conjecta eſt, quanquam medicum ex ſignis malignitatis, in aegro ſimul obſervatis, excuſare potuimus. Balnea itaque ad eruptionem juvandam ſuadere nolim et hic obiter moneo, et in hoc ſtadio praecipue medicum anxietates praecordiorum febriles ab anxietate hypochondriorum diſtinguere debere, hae enim clyſmate magis, quam aliis auxiliis leniuntur et,

ſpaſmo

ſpaſmo inde ſoluto, quies corporis et blanda ejus perſpiratio ſuccedunt, quibus eruptio variolarum juvatur.

Sed non eſt animus, aut inſtituti noſtri, hic tantum de balneorum uſu, eruptionem juvante, diſſerere, ſed ſimul etiam de derivatione variolarum ad definita loca agendum eſt. Balnea prophylactica eruptionem in reliquis corporis partibus augere, in facie imminuere, multi ſunt, qui arbitrentur, ſed eventum votis non reſpondiſſe, ipſi ſaepe uſu cognovimus. Quod vero in hunc finem balnea univerſalia rarius applicavi, ad meam in eo non tam experientiam, quam ad aliorum provocare poſſum. Applicavi autem crebrius pediluvia, moderate calida, ex aqua ſimplici vel cum lacte vel cum ſapone et decocto chamomillae parata, ſed horum etiam uſum nunc non urgeo, cum crebriores in facie, pauciores in cruribus excitatas eſſe variolas, cognoverim. Cum praeterea aequalem ſemper in his morbis perſpirationem urgeam, de pedibus nudis relinquendis et facie, fomentis afficienda, nunquam cogitavi. Conſtat enim, non omnes omnino partes, quae in morbo denudantur, ſed quas ſemper nudas aeri exponimus, inprimis faciem, copioſiſſimae variolarum eruptioni obnoxias eſſe, idque propterea, quod

con-

consueta perspiratio in partibus tectis magis, quam liberiori aeri expositis succedit. Et profecto facies magis quam reliquae partes subtilissimis et vix conspicuis pilis obsita est, ad quos fontes humoris, cutim inungentis, conspiciuntur et in quibus eruptio variolarum major deprehenditur. Forte etiam inquieti infantes et qui stragula abjiciunt, tardiorem eruptionem ideo efficiunt; quod blandus sudor, eam juvans, hoc modo turbatur.

Cum igitur morbus variolosus infantibus crebrius, quam adultioribus accidit, in his, si semper de munditie corporis solliciti sumus, de balneis et fomentationibus vix unquam cogitandum erit; tenera enim cutis fabrica in universum eruptioni favet. Addamus his unam modo observationem, quam de viro quadragenario adnotavimus, qui etsi in spurcis semper laboribus erat versatus, variolas tamen, in facie potissimum confluentes, per omnia stadia tam felici successu superavit, quamquam nullo balneo ad cutim mundandam uti potuit. Quae observatio, etsi singularis est et nihil magnopere ponderis habet, a nobis tamen ideo commemoratur, ut perspiciatur, eruptionem variolarum viribus cordis et febri moderatae adscribendam esse et blandam tandem perspirationem eandem juvare.

Atque his, quae modo demonſtravimus, regimen aeris externi in juvanda eruptione varioloſa ſatis definitum nobis videtur. Dolendum ſane eſt, aegros iſtos, in quibus eruptio variolarum eminet, in univerſa ferme Germania non modo inter ruſticos et urbium minorum incolas, ſed etiam inter plebejos homines urbium celebrium, quamvis in his prudentes medici veram medendi rationem oſtendunt, calore conclavium et ſtragulorum ita urgeri, ut, profuſis ſudoribus, quos calor expreſſit, evolutum contagium varioloſum, vel alia acceſſoria cacochymia aucta et in malignam converſa, nimis copioſe ad cutim derivetur. Quando tot funera infantum ex hoc genere in noſtra quoque urbe conſidero, definire non audeo, utrum depravata vivendi ratio, inprimis victus inordinatus, infantes, variolis afficiendos, minus diſpoſitos offerat, an incongruorum remediorum uſus, vel denique regimen caloris, nimium applicati, eorum cauſſa ſit habenda. Accuſandi profecto nonnunquam ſunt medici, qui, quoniam differentiam perſpirationis et ſudoris non recte attendunt, a ſudoribus blandis, interdum mitiores variolas concomitantibus, ad ſudores viſcidos, vi extortos, concludunt, nec perpendunt, ſudores, in cruditate ortos, rariſſime cum levamine ſuccedere, ſaepiusque morbum exaſperare,

atque

atque in robuſtioribus modo et ſucci plenis interdum, in imbecillis vero et macilentis nunquam ſalutares poſſe effectus ab iis expectari. Regimen itaque temperatum, ut in omnibus febribus, inprimis acutis exanthematicis, ſic in variolis quoque, cutim ad eruptionem puſtularum non evitandarum et ad febriles motus moderatos diſponere, omnes mecum conſentiunt ratione et experientia ducti medici.

Utrum vero conſultius ſit, aegros, in quibus eruptio variolarum inſtat, in quibusque ſaepe non ita, ut decet, ſuccedit, liberiori coelo exponere, an aerem, ventilationis ope, per feneſtras appoſitas admittere, difficilis eſt quaeſtio. Medici nonnulli, qui hoc affirmant, ad experientiae auctoritatem provocant, qua conſtare dicunt, puſtulas vere prodire et quidem pauciores et diſcretas. Sed ad hanc experientiam rationis judicium valde commendamus. Cordis vis, febre moderata, evolutionem contagii efficit et eruptionem puſtularum juvat, ſi interea atmoſphaera temperata perſpirationi et blando ſudori favet, quibus magna pars contagii diſſipatur, ne omne in cute haereat, vis enim aeris frigidioris vaſa cutanea non roborat, ſed ſtringit et ſudorem varioloſum, quem odore ſaepius percipimus, reprimit. Paucae igitur prodeunt variolae, in locis,

ubi materia jam cutim ingreſſa erat, reliqua reprimitur. Si maligna eſt, certo in viſcera convertitur et protinus peſſima ſymptomata inducit, ſi mitior eſt, chronicis ſaepe morbis anſam praebet. Neque vero negligenda ſunt febris moderatae adjumenta, haec enim non ſolum a vi cordis abſoluta, nec a vi quadam intrinſeca materiae morboſae, ſed ſimul a contractione moderata vaſorum, in extremis reſiſtentium, derivanda ſunt.

Quamquam nimis fortaſſe primae hujus tractatus parti immorati ſumus, medicisque exercitatis nonnihil taedii creavimus, tamen minus exercitatis, quibus potiſſimum ſcribimus, ulteriorem ad has res attentionem ſummo jure ſuadendam putamus. Jam vero ad alia doctrinae noſtrae capita progrediamur.

Multi quidem ſub initium eruptionis variolarum, de oculis inpoſterum a labe praeſervandis ſolliciti ſunt. In ſummo enim inflammationis ſtadio habitus cutaneus, inprimis facies et palpebrae, tument, impetu vero morbi ad ſuperficiem corporis bene directo, palpebrae omnino ſine noxa clauduntur et per aliquot dies clauſae manent, lacrymis ſemper per puncta lacrymalia ad ſaccum derivatis. Variolarum eruptio in margine palpebrarum majorem,

ut conſtat, moleſtiam affert et in ipſo bulbo, etiam in cornea, variolas ſurgere obſervatum eſt, quamquam rariſſime. Sed dummodo humores non nimis impuri ſint, variolarum mutatio et in his partibus ſine noxa abſolvitur, atque etiam ſi cilia cadunt et levis eroſio in conjunctiva remanet, tamen chronica mala non relinquuntur, niſi ophthalmiae ex aliis cauſſis exacerbentur, vel ſiniſtra medendi methodo exaſperentur.

Topica medicamenta, quae ad avertenda haec incommoda adhibentur, vulgo uſitata, ſunt halitus ceparum, allii et caryophyllorum aromaticorum, quos matres, de cura infantum ſaepius praepoſtere ſollicitae, oculis eorum in ipſo eruptionis ſtadio inflant, qui vero propter irritationem valde nocent. Etſi vero et halitus ſeminum foeniculi vel aniſi maſticatorum longe mitior eſt, tamen et hujus applicatio ſupervacanea videtur, in benignis praecipue et diſcretis; tum vero, cum in perverſa humorum mixtione malignae imminent, quaelibet irritatio in oculis excitata, acres humores ad conjunctivam allicit et inflammationem movet. Nam cum non ſolum morbilli, ſed et alia exanthemata febrilia ideoque et variolae oculos illacrymantes reddant, id manifeſto indicio eſt, haec miaſmata

cuncta lacrymas acres reddere, minimeque convenire, ut aliquis halitu aromatico, minima vaſa non roborante ſed irritante, hoc incommodum avertere ſtudeat. Et ſi licet provocare ad experientiam noſtram, ſaepius cognovimus, infantes, quibus haec prophylactica auxilia ſunt applicata, poſt variolas ſuperatas, ophthalmias chronicas eſſe expertos. Contra ea multas matres, ut teſtes, citare poſſum, quae conſilio meo obedientes, nihil applicarunt et, quamquam oculi ob inflammatorium tumorem, per plures dies clauſi manerent, iis tamen poſtea apertis, priſtinam conjunctivae tunicae ſplendorem redire viderunt. Idem valet de ſolutione croci, oculis illita et aliis remediis. De oculorum cura in exſiccationis ſtadio paulo poſt agetur.

Puſtulae varioloſae in faucibus crebrius et inprimis ad uvulam et veli palatini confinia effloreſcunt, quae non tantum in ſe anginam varioloſam inducunt, ſed ubi cum capitis tumore etiam collum intumeſcit, eam magnopere augent. Haec damna matres credulae, appenſis ad collum ſuccini fruſtulis vel filis goſſypinis theriaca illinitis vel aliis amuletis, avertere ſolent, a quorum uſu nulla noxa metuenda eſt; ſi vero theriacam, rob ſambuci vel alia collo illinunt et cutem ſpurcam reddunt, tunc omnino

monen-

monendae ſunt, ne topicis his medicamentis perſpiratio turbetur. Multo vero minus emplaſtra debent concedi, quippe quae etſi adhaerente acri pinguedine, ut fit interdum, non nocent, tamen cutim jam irritatam, quocunque fiat modo, magis laedunt.

Gargariſmatibus et fotibus ori admittendis, ut prophylacticis remediis vix opus eſt; ſi enim tum, cum incommoda non urgent, fauces medicamentis et blandioribus etiam diſcutientibus nimium afficiuntur, timendum omnino eſt, ne, irritatione conceſſa, anginae generandae praebeatur occaſio. Quod ſic vero in progreſſu morbi angina varioloſa incommoda infert, tunc iis aptis remediis, ex indole morbi dijudicandis, ſuccurrendum eſt, quo gargariſmata et fomentationes emollientes, diſcutientes, roborantes, aliaque remedia externa pertinent.

Variola eſt pars inflammata cutis in abſceſſum mutanda. Quaeſtio igitur a nobis movenda eſt, an abſceſſus maturatio externis remediis in ſuppuratione adjuvanda ſit? Fuerunt omnino, qui, emplaſtris appoſitis, id tentare vellent *) quorum tamen tentamina

*) vid. *the Gentleman's Magazin, menſe junio* 1752. p. 269. ubi Cl. CAMERON emplaſtra, maturationem

 puris

mina nusquam confirmata videmus. Alii vero, qui fomentationes emollientes applicandas ſuadent, forte majorem merentur attentionem. In variolis ſparſis et copioſis quoque nihil moliendum eſſe omnes conſentiunt, ſed in confluentibus haec remedia neceſſaria eſſe, nonnulli ſunt, qui contendant. Niſi vero in his vis interna ad copiam materiae morboſae in cute ſuſtinendam ſufficiat, vel per ſelecta remedia roborantia et antiſeptica ſuſtineatur, fomentationes parum juvabunt. In difficili confluentium ſuppuratione et ubi vis materiae morboſae in cute ſuſtineri nequit, ipſi naturae motus alia offerunt auxilia. In adultis ſalivatio, in infantibus vero os humidum et diarrhoea morbum levant. Atque haec eſt cauſſa, ob quam his naturae motibus ſpontaneis magis, quam artificialibus inſiſtendum cenſeamus, cum egregiam videamus ſimilitudinem in ſuperficie faucium et canalis inteſtinorum cum

puris juvantia, artubus variolis laborantium imponere ſuadet et variolas a facie avertere tentat. Cl. CLOSSIVS vero *in nova variolis medendi methodo.* Traject. ad Rhenum 1766. in 8vo emplaſtra veſicatoria ſimili ratione pedibus applicat. Vid. Commentarios de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Volum. II. Part. II. p. 343. it. Volum XV. Part. IV. pag. 648.

cum cute, materiam quasi perspirabilem ex humoribus subducente. Est haec derivatio materiae evolutae cum miasmate ad colatoria maxime convenientia, in quibus quidem non haeret, sed promovetur, atque id multo melius, quam si eandem velimus ducere ad loca ea, ad quae per vires vitae non amplius duci potest. Collutiones oris itaque in salivatione et clysmata in diarrhoea melius conveniunt, quam ea, quae suppurationem in cute augent.

Quod si etiam suppurationem auctam in cute cum suppuratione vulnerum et abscessuum a chirurgis juvanda comparare velimus, idem patebit. Nam et nimia in his suppuratio, viribus tam insidiosa, saepe coercenda est, nequaquam vero augenda. Quam ob rem, unguentis digestivis pinguibus remotis, deligatio sicca vulnerum magis probatur, et, insuper purgantibus et roborantibus interne datis, suppuratio nimia derivetur et coerceatur. His de caussis in variolis quoque suppuratio ultra modum augenda non est, quippe quae haud raro in progressu morbi variolosi ob partem lymphaticam, quam pus bonum conjunctam habet, corpora vehementer debilitat et enervat.

Sed quoniam abscessus, qui pure turget, debet aperiri, ne pus retentum resolvatur, attenuetur et

resorbeatur, videamus an variolae, ut abscessus, sint aperiendae? Minores variolae saepe sine pure collecto dissipantur; aliae, quae etiam verum pus contrahunt, id sub cuticula in lamellas siccas cogunt, quae cuticulam novam, subtus natam a laedente aeris attactu defendunt; aliae denique majores quidem variolae sponte rumpuntur et subsident. Ex quo cognoscimus, variolas non poni posse in numerum eorum abscessuum, qui sunt aperiendi, praeterea quod mox sub cuticula, neutiquam, uti majores abscessus sub cute in contextu cellulari haereant. Quando autem in chirurgia de abscessu aperiendo quaeritur, tunc de puris sede omnino cogitandum est, quod ex hac re resorptio puris noxia definitur. Pus, in contextu cellulari haerens, facile resorbetur, vel clanculum in sinus laterales proserpit, cutis autem densior haec incommoda arcet. Nisi igitur tales confluentes pustulas variolosas adesse videas, quae profunda ulcera formant, de pure per artem removendo non sis sollicitus.

Quod autem ad resorptionem puris attinet, non solum ad sedem variolarum in cute, sed etiam ad materiae purulentae indolem respiciendum est. Namque pus densum et spissum prorsus non resorbetur, tum etiam, cum in contextu subcutaneo

haeret;

haeret; pus autem acre tenue et malignum reſorberi poteſt. In moderamine autem febris ſecundae variolosae, quae eſt ſuppuratoria, vis naturae in dirigendo impetu humorum ad ſuperficiem corporis et in ea per varia medicinae auxilia conſervanda abunde cernitur. Quando enim corpus moderate perſpirat, humores ita ad habitum cutaneum diriguntur, ut reſorptio vix locum habeat, ſi vero febris imminuitur, lentae ſimilis, nec directiones, quas ſupra indicavimus, in ſalivatione et diarrhoea locum habent, reſorptio vere efficitur et vel mortem ſubitam vel chronicas metaſtaſes inducit, niſi forte, quod tamen fit rarius, vires vitae iterum medicamentis incitatae humores ad corporis peripheriam ducunt, id quod in ſudore, ut criſi acceſſoria, per aliam occaſionem declaravimus. *)

Cum itaque et per inciſionem puſtularum reſorptio non caveatur et in confluentibus fieri non poſſit, ut omnes variolae aperiantur, auxilium hoc vere ſupervacaneum eſt. Affirmant quidem medici, qui puſtulas aperiendas eſſe urgent, obſervationes extare, quae doceant, depletas variolas iterum novo pure repleri et ita malignitatem ab internis corporis

*) vid. Diſſert. noſtr. de criſibus variolarum acceſſoriis, Lipſiae 1755. 4to §. 11.

poris partibus arceri; verum ſunt et aliae ſimiles obſervationes, quae oſtendunt, pus non ſemper affluere, ſed cruſtas potius in iis locis ſiccas et duras formari et in facie quidem facilius, quam in aliis locis, ubi decubitus corporis in ſtragulis variolas citius deprimit, nudam tamen cutim libero aeri non exponit. Quod ſi etiam, cruſtis remotis, fomentationes ex lacte et aliis emollientibus decoctis paratae, applicantur, tamen cum facies univerſa non ſemper humiditate poſſit affici, nec formatio novarum cruſtarum impeditur, nec moleſtiae inde oriundae multum mitigantur.

Altera quidem ratio, cur pus ex variolis ſubducendum eſſe, nonnulli arbitrantur, ad cicatrices pertinet, quo nimirum foedae eroſiones et inde oriundae inaequalitates cutis impediantur et faciei, quantum fieri poteſt, nitor concilietur. Si igitur pus paſſim ſub magnis cruſtis haeret, hae omnino non nihil levandae ſunt, quo materia, ſubtus ſtagnans, evacuetur. Hoc autem cautius debere et rarius fieri, ratione et experientia convicti credimus. Novae enim cruſtae oriuntur, quae cutem teneram magis laedunt, quam pus, quod ſub iis haeret, quaeque propterea etiam inaequales cicatrices formant. Vidimus ſaepe, pure educto, carnem fungoſam excreviſſe,

viſſe, quae vix aequaliter coerceri poteſt, niſi cuticula ſenſim papillis denſioribus ſuperinducatur et quilibet etiam perſpiciet, foedas inaequalitates cutaneas in illis locis excreſcere, ubi cruſtae non lente fuerunt remotae, ſed vi aliqua avulſae.

In locis, ubi variolae exſiccatae blande ſecedunt, cutis ſuper reliquam partem, velut depreſſus monticulus elevatur, ex quo phaenomeno Ill. HAHNIVS ſuam de evolutione vaſorum cutaneorum ſententiam defendere conatur. Sub pure nimirum propullulant vaſcula, quae per inflammationem extenſa, in papillas ſive parvas eminentias, cicatricem formantes, elevantur. Hae in pure vel ſub ejus cruſta melius excreſcunt, chirurgi enim, qui in vulneribus pus rudius abſtergunt, neque tenuem ejus partem linteis carptis tantum ſugunt et ſanationem vulneris retardant et cicatricem cavam et irregularem reddunt. Si igitur ex variolis quoque pus prorſus tollitur, cruſta generatur, quae ſicceſcit et ita teneram cutem laedit, hinc in quibusdam locis, in quibus vaſorum vis propullulat, elevationem, in aliis ubi haec vis deficit, depreſſionem relinquit, adeoque irregularem cicatricem format. Neque ſufficit fomentationibus, quae ex lacte et aliis emollientibus paraveris, cutem teneram fovere, propterea quod

hae

hae incrementum carnis fungofae in cicatrice, adeoque etiam inaequalitatem cutis augent magis, quam impediunt.

Haec praemittenda duxi, antequam remedia, quae in exficcatione variolarum et cruftis removendis externe applicanda funt, dijudicanda mihi fumerem. Si quis ad defquamationem variolarum attentus eft, vere obfervabit, cruftas eas, in quibus pus ficcefcere coepit, melius fuccedere, quam illas, quae ex apicibus vaforum, in laefa cute propullulantium, exficcatis oriuntur. Illae enim jam a vafis folutae funt et genefin novae cuticulae juvant, hae vafis arctius adhaerent et tenerae cuticulae genefin impediunt. Quo facilius itaque in uno loco altera et tertia crufta formatur, eo difficilior tamen eft feparatio. Quanquam igitur confultum eft, feparationem cruftarum fpontaneis motibus relinquere, in confluentibus tamen variolis et in quibus pus ichorofum et faepe malignum reperitur, hoc incommodum nunquam evitari poteft, ideoque de delectu remediorum topicorum omnino diligenter cogitari oportet.

Aqua tepida non fufficit, ejus enim halitus fubito diffipantur et ficcitatem relinquunt. Emollientia plus minus vifcida et fuboleofa medicamenta, lac et

olea

olea pressa, in sapones trita, rigiditatem crustarum magis demulcent. Quoniam vero perspiratio in facie quoque ad nitorem cutis restaurandum denuo requiritur, medicamenta varie praeparata non nisi summitatibus crustarum illinienda sunt, vel margines penicillo tantum tangendi. Etenim crustae rudius avulsae cutem laedunt et quodammódo sanguinolentam reddunt, in his tamen potissimum locis caro fungosa et inaequales eminentiae cutis generantur. Si itaque taediosum hunc laborem suscipit chirurgus, is bene dispiciat, utrum pus bonum, quod interdum fit, an ichor sub crusta haereat, si prius evenerit, crusta relinquenda est, donec sponte secedat, pure sensim siccato; si posterius, praestat potius totam crustam separare, quam ex una parte tantum levare. Etsi enim pars soluta non amplius cutim premat, haec tamen altera, cui crusta adhuc nectitur, vehementer irritatur.

Ut autem exsiccationis stadium eo melius succedat, curandum est, ut nutrimenti ratio, in aegris, victum tunc maxime appetentibus, recte ordinetur. Femina tenerae constitutionis, venusta, quinto mense gravida, ex improviso, quod variolas se jam superasse crediderat, morbo hoc tenebatur. In hac quidem non confluentes, copiosae tamen, efflorescebant.

bant. Quae cum per aliquot hebdomadas curis domeſticis agitata, noctes ſaepe inſomnes tranſegiſſet, minus proſperum morbi progreſſum metuimus. Sed, omni ejus ſanandae cura adhibita, intra nonum et decimum quartum diem, plenaria ſanationis ſpes animos noſtros confirmavit. Cepimus autem tunc temporis, cum motum foetus, licet debilem ſenſiſſe ſe nobis illa profitebatur, conſilia de aegra ſubinde paullo largius et jurulento quoque victu nutrienda, quo foetus conſervāretur, ſed quamvis hac ſpe per aliquod hebdomadas confirmari videremur, tamen poſt menſem demum abortum ſuſtinuit *), ſine ulteriori ſanitatis detrimento.

Cum vero jam die decimo quarto multae variolae exſiccatae cernerentur et cruſtae paſſim caderent, eae, quae in facie haerebant, novum quaſi puris affluxum admittebant, cruſtae vero majores elevatae quidem et concretae faciem foedabant. Quanquam igitur chirurgus bis de die maxima cum cura cruſtas levabat et materiam ſubtus haerentem educebat, tamen carnis fungoſae incrementum et inde orta cicatricum inaequalitas non evitari poterat.

Erat

*) Foetum tunc editum veſtigia variolarum, forma veſicularum depreſſarum paſſim in corpuſculo oſtendiſſe, obiter hic moneo.

Erat in his cruſtis una, quam ſaepius et attente conſideravi et ſub qua pus peſſimae notae non inveniebatur. Hic, cum chirurgus ex inferiori parte pus educeret, cruſtam tamen non removeret, ea paulo poſt leviter tacta ſeceſſit, quo facto non ſolum caro fungoſa ſuccrevit, ſed etiam nova cruſta formata eſt, ſexto demum die ſimili ratione ſeparata novaque ſuccedente, ita ut poſt ſextam demum hebdomadem ultima cruſta ſecederet et inaequalem cicatricem relinqueret. Niſi itaque haec femina ob cauſſam ſingularem largius nutrita fuiſſet, leviores forte cicatrices in facie remanſiſſent. Forte etiam nimia chirurgi cura, quam adhibuit in educendo pure, non tam ichoroſo, quam ſpiſſo potius et bono, augendis cruſtis inaequalibus occaſionem dedit.

Cruſtis ſecedentibus, de grato cutis nitore reſtituendo cogitandum eſt. Id autem ſi efficere volumus, curare nos oportet, ut facies aeri, nec frigido, nec calido exponatur, ille enim ob tenera cutis vaſa maculas quaſi ſubcoeruleas efficit, hic nimis ſiccat et cuticulam ad citiſſimam deſquamationem diſponit. Optimum itaque hac in re eſt, ſi is, qui morbum varioloſum ſuperavit, inprimis ſi copioſis laboravit, non niſi in puriori et temperato aere verſatur. Ex hac re etiam ea, quae ad faciem lavandam adhiben-

tur, definienda ſunt. Nonnulli utuntur tenui juſculo vitulino vel vervecino, interdum et decocto extremitatum et inteſtinorum animalium; verum etſi hoc modo humoris cutem inungentis vices ſupplere videntur, haec tamen juſcula ob nimiam viſciditatem cutim magis inquinant, quam purgant. Alii lentium vel aliorum leguminoſorum ſeminum decocta commendant, in quibus tenuis viſciditas eſt. Sed magis forte conducit, faciem antequam aqua pura lavetur, furfuribus tritici vel amygdalarum dulcium fricare. In hac autem re aquam fluviatilem fontanae praeferrem, illa enim unguinoſi quid habet, haec cuticulam rudius afficit. Aqua fluviatilis puriſſima et frictio cum linteis albis tenuioribus magis profecto nitorem faciei conciliant, quam artificioſiſſimae ſaponum compoſitiones et tinctura benzoes in aqua lacteſcens, aliaque medicamenta coſmetica ex radice ſigilli ſalomonis cet. confecta. Aqua mundam reddit cutem faciei, quo humor, cutim inungens, ex fontibus ad radices pilorum blande ſuccedere poſſit.

Quoniam interdum accidit, ut poſt variolas ſuperatas furunculi et abſceſſus et hi interdum profundius ſub perioſtio contrahantur, de his etiam nonnulla monenda habemus. Cacochymiae chronicae

diver-

diverſae indolis cum febre varioloſa ſaepe moventur, quae tamen in ejus progreſſu nullam moleſtam mutationem inferunt, et, quoniam, morbo ſuperato, id, quod motum eſt, ſaepe oberrat et propter debilitatas a morbo vires non omnino poteſt diſſipari, metaſtaſi in contextum celluloſum conjicitur et furunculi contrahuntur. Simili modo abſceſſus in aliis locis formantur et, cum infantes nondum oſſa ſatis confirmata habeant, ſub perioſtio et ſaepe ad epiphyſes collectio materiae morboſae efficitur.

Si itaque latentis cujusdam cacochymiae ſuſpicio oboritur, exquiſita diaeta diu continuata, frictione et balneis, perſpiratio ſuſtinenda et humorum correctio medicamentis internis, quantum in debilitate poſt morbum relicta fieri poteſt, efficienda eſt, quo ſe- et excretionum vigor ubique ſuſtineatur. Furunculi praeterea, ſi qui oboriuntur, emolliendi et ſi neceſſe ſit, incidendi, abſceſſus vero inprimis profundiores omnino cataplaſmatibus fovendi et cito lanceola aperiendi ſunt, ne materia ſtagnans oſſa arrodat.

Singulare hujus rei exemplum vidimus in puero ſeptem circiter annorum, qui variolis, etſi non nimium malignis, tamen copioſis, affectus tenebatur, hanc curationem per omnia ſtadia bene ſuſtinuit.

Quia vero, durante morbo, anicula, pueri curam habens, clam nutritionem non tantum largam, sed non raro jurulentam admiserat, quae in morbis acutis, inprimis variolis, mihi semper noxia visa est, post morbum superatum tumores vagi, lente inflammatorii et ad radii caput et a latere deltoidei musculi et passim oriebantur, qui tandem materiam profunde fluctuantem prodebant. In his, cum discussio per interna remedia non absolvi posse videretur, chirurgus accersebatur, qui subinde omnes incideret, quo facto semper magna copia puris tenuis, non nimium foetidi educta est, ita tamen, ut ossa nuda digitis tangeremus. Quoniam tamen parentes me et chirurgum propter crebras incisiones nimiae crudelitatis accusabant, nostraque monita, de imbecillitate et languore pueri, per accuratam diaetam et attentam curationem corrigendo, negligebant, nos dimittebant et curam pueri medicastro tradebant, qui cum caussa morbi esset sublata, laudem curationis mitioris tulit. Nulla profecto alia medendi ratio in abscessibus his profundis locum habet; nova enim metastasis ad organa excretoria v. c. renes, in ea, quae tunc est, aegrorum debilitate vix expectanda est, ideoque morbus lentus et praecipue spina ventosa subsequitur, nulla curatione corrigenda.

Raro

Raro in iis, in quibus topica medicamenta non applicantur, vitia oculorum oriuntur; in aliis vero, quorum oculi vel ab initio vel in exſiccationis ſtadio, medicamentis externis tentati ſunt, vitia oculorum, inprimis ophthalmiae variae oriuntur. De cura itaque oculorum in exſiccationis ſtadio pauca commemoremus. Poſtquam tumor faciei et idcirco etiam palpebrarum ſubſidet, oculi ſponte aperiuntur, ſi vero variolae in margine palpebrarum ſitae ſunt, vel conglutinatio ciliorum evenit, tunc ſeparatio palpebrarum non ſponte fit, ſed cum aliqua difficultate adjuvatur.

Si igitur palpebrae ob variolas, ad illarum marginem poſitas, conglutinantur, coalitus morboſus perſiſtens non magnopere metuendus eſt, oculi enim liberi relicti, nec faſcia adſtricti liberiorem motum exercent, quo membranae non valde irritentur. Cum enim lacryma blanda affluat et margines humectet, exſiccata variolae cruſta non tenaciter adhaeret, ſed vel altera, vel ab utraque parte ſecedit, itaque non eſt neceſſe, palpebras nimis cito divellere, vel cruſtam, quae nondum ſecedere poteſt, emollientibus fomentis juvare. Quemadmodum enim in facie, ut ſupra monuimus, cruſtae novae oriuntur, ſic ad margines palpebrarum ſaepe ulcera remanent.

Idem forte evenit, ſi cilia conglutinantur. Quod ſi enim aeger hoc incommodum patienter fert, lacryma affluens hunc coalitum quoque ſolvit. Et ſi accidat, ut cilia ad extremum marginem palpebrae agglutinata lacrymis ſolvi nequeant, cilia ipſa ſaepe cadunt et tum etiam ſine noxa, cum nova cilia ſuo tempore ſuccreſcant. Nihilo minus tamen fateor, in infantibus hanc ſpontaneam ſeparationem raro locum habere. Etenim hi, quamquam interdum profuſis lacrymis ſeparationem urgent, crebrius tamen vel manibus impuris, vel linteis aſperis fricando, oculos laedunt et matres anxias et ipſum medicum ad topica et emollientia remedia applicanda impellunt. Haec vero ſi vel maxima cum cura applicantur, ſaepe ophthalmias vel ſparſa quaedam ulcera relinquunt, quae non aliter, quam continuata curatione corrigenda ſunt, haec tamen, cum frictionem non intermittunt infantes, profecto difficilis eſt.

Quemadmodum vero in variolis malignis, vel in cacochymiis acceſſoriis exſiccationis ſtadium et convaleſcentiae progreſſus in univerſum retardatur; ſic etiam tum cura oculorum majoribus incommodis ſtipata eſt et luculenter apparet, rebus ſic ſe habentibus, magis de internis remediis, quam de topicis

picis cogitandum esse. Omne diaetae regimen per plures hebdomadas diligentius ordinandum est, victus quidem jurulentus, quem vires fractae saepe postulant, parcius modo debet concedi; serum lactis vel acidum vel dulce, juscula tenuia cum herbis subamaris cocta et alia medicamenta, a quibus correctio humorum expectanda est, v. c. antimonialia propinentur. Massa igitur humorum universali, quantum fieri potest, correcta, vitia oculorum, cum ea conjuncta, subinde mitescunt et bona valetudo restauratur.

Quoniam vero non tantum in neglectu eorum consiliorum, de quibus hactenus egimus, sed saepenumero etiam sub attenta palpebrarum curatione, viarum lacrymalium et corneae vitia remanent, tunc iis rite dijudicatis curatio debet accommodari. Omnem autem medendi methodum, quam chirurgia in morbis oculorum proponit, hic repetere supervacaneum sit, propterea quod non tantum medicamenta topica, sed simul etiam auxilia chirurgica, manu et instrumentis applicanda, recensere cogeremur.

Cum itaque persuasum habeam, me satis ostendisse, topicorum usum in variolis saepius esse noxium et, si vel requirantur, in iis applicandis cir-

cumſpecte verſandum eſſe, ne incommoda, quae avertere conaris, magis augeas, finem huic tractationi impono. Quod ſi vero topicorum uſum durius damnaverim, certus ſum, fore, ut haec doctrina amicorum animadverſionibus magis illuſtretur et vera medicis norma in iis adhibendis tradatur.

V.

De vi cardiaca opii diſquiſitio.

Medicum non modo diaeta, curatius ordinata, ſanitatem tueri, ſed hanc quoque labefactatam medicamentis ſalutaribus confirmare et debere et poſſe, neminem latere exiſtimo. Quamquam autem cognoſcimus, ea prae reliquis eligenda eſſe medicamenta, quae lente agant et naturam in ſuis operationibus magis ducant, quam urgeant, quaeque alimentis ſimilia ſint; quilibet tamen in medicina exercitatus intelligit, interdum in vehementioribus naturae motibus ſopiendis, vel etiam in imbecillitate nimia oborta ſuſtinenda heroica medicina opus eſſe, ne medicus languidus, nimium forte naturae tribuens, hanc ſibi ipſi relinquat, ideoque auxilium

fruſtra

frustra expectet. Atque ex his medicamentis opium est, in quo medentes, cum ejus naturam ex particulis constitutivis vix repetere possint, agendi rationem potius attendunt, ejusque vim ex observationibus constituunt.

Inter recentiores auctores, ad experientissimos viros Cl. YOUNG Anglum et Cl. TRALLES Germanum provoco, qui, viribus hujus medicamenti diligenter exploratis, id ad medicinam recte exercendam accommodarunt. Inter alias igitur vires, quas opio tribuunt, vim febrim excitandi et simul cardiacam invenio. Quamobrem cum me ab humanissimo TRALLES notatum intellexissem *), quod post opii usum cardiaca danda esse monueram **), cum satis evictum sit, opium vi cardiaca pollere, saepius cogitavi, num in errore aliquo versarer et, si opium cardiacam vim haberet, quaenam esset hujus effectus caussa. Placuit itaque de iis, quae hac in re observavi, breviter exponere et dubitandi rationes adjicere, quo scientia et usu artis praestantissimum Virum, vel in partes meas ducam, vel ejus monitis commotus, sententiam mutem.

*) in Tractatu de opio Sect. III. p. 265.

**) in Diss. de diarrhoea in febribus acutis §. 14. quae prodiit Lipsiae 1754. 4to.

Equidem non nego, calorem, opio ſumto, increſcere, cum et ii, qui ſani ſunt, inde, ut a largiori vini uſu inebrientur et incaleſcant. Id enim ſaepe cum inter Mahumedanos verſabar, qui opio liberius utuntur, cognovi. Uti vero inebriatio, a vino excitata, ſyſtema nervorum debilitat, ſic et ex uſu opii idem evenire ſolet. Turcae ante proelium, ut conſtat, opium ſumunt, quo animus iis accedat, contemtusque periculorum excitetur, primis autem his medicamenti excitantis effectibus ſuperatis, languidi cadunt et ad res agendas minus idonei ſunt. Hac vi opii per experientiam cognita, praefectus quidam navis Melitenſis aggreſſus eſt navem Turcicam viribus longe ſuperiorem. Cum vero ſentiret Turcas, ad proelium ineundum paratos, ſumſiſſe opium, fugam mentitus et velis expanſis ſe ſubtrahere anniſus eſt, deinde vero a Turcis per aliquot horas exagitatus, cum ſomnolentiam ex opio natam eſſe conjeciſſet, ad proelium rediit ipſe et inimicos languidos nunc et ſtupidos facile vicit.

Hoc egregie ex iis obſervationibus patet, quae Cl. TRALLES *) declaravit. Quatuor priores forte et ſexta et duodecima egregiam et excitantem vim

opii

*) lib. cit. Sect. I. Cap. II. p. 49. ſeqq.

opii commonſtrant, quinta vero et ſeptima et reliquae fere omnes funeſtos et maxime noxios opii effectus oſtendunt, quae certe omnia, ubi inter ſe comparaveris, cardiacam vim opii, quam laudatus Vir *) deſcribit, magis infirmare, quam confirmare videntur.

Jam vero, antequam de his porro diſſeramus, de vera medicamenti cardiaci notione videamus. Utamur definitione Cl. TRALLES, qui cardiacum medicamentum dicit, quod indicationi vitali ſatisfacit, ſeu quod efficit, ut vires vitae ſibi conſtent vel augeantur **). In ſtatu ſano, in quo vires vitae ex naturali corporis diſpoſitione pendent, optimum nutrimentum, per omnes corporis elaborationes ductum, nutritionem et aſſimilationem in omnibus ſibris efficiens, cardiacum eſt praeſtantiſſimum, inde tamen non concludi poteſt, gelatinam nutrientem, ceu gluten, vires vitae ſolum inducere, propterea quod in materia fluidi nervei alterum et praecipuum virium vitae augmentum poſitum eſt. Cum itaque in viribus vitae languentibus ſuſtinendis etiam ad utrumque reſpiciendum arbitrer, indicationem vitalem in therapia generali, BOERHAA-

VIVM

*) loc. cit. p. 65.

**) loc. cit. p. 65.

VIVM sequutus, qui cardiaca ibi proponit, in duo capita redegi, ita quidem, ut primum pertineret ad conservationem virium, per alimenta nutrientia et roborantia, quibus fibra elastica redditur, alterum ad incitationem virium per analeptica et stimulantia, quae vires, a nervis pendentes, sustinent.

Quamquam autem id, quod sanguinem turgidum reddit, quod inde circulum humorum, intendit, quod febrim concitat, cardiacum dici posse videtur, tamen ex antecedentibus jam patet, hanc explicationem maxime limitandam esse, etsi enim, febre mota, circulus humorum intenditur, tamen medicamentum, quod febrim excitat, non in universum cardiacum dici potest. Nam in motu humorum celeriore, qui signum pathognomonicum febris est, ad sanguinem motu intestino turgentem et motum progressivum inde auctum respici debet. Quod si itaque vel dispositio humorum, per se ex depravata mixtione resolutionem sanguinis et inde turgescentiam efficit, moles ejus resistit, licet extremitates vasorum, quae in oscillatoriis suis motibus veram vitae vim sistunt, non semper debitum vigorem habeant. Hoc evidenter ostenditur tum, cum et a debilitate in lentis et putridis febribus, celerem pulsum percipimus, in utraque enim caussa re-

solutio

ſolutio et turgeſcentia ſanguinis, cum ſumma virium vitae proſtratione conjuncta deprehenditur.

Cum de his rebus agens, cardiacam vim opii ſtatim ſub examen vocare poſſem, placet tamen paullulum digredi et ad uberiorem hujus doctrinae declarationem, ſomni, vini et opii vires, inprimis quatenus cardiacae et vires vitae inſtaurantes dici poſſunt, inter ſe conferre.

Cardiaca vis ſomni certa eſt et omnis nutritio ad vires vitae inſtaurandas non ſufficit, niſi accedat ſomnus placidus. In ſtatu naturali languet homo in ſomnum proclivis, ex eo, quod vires nervorum ulteriorem elaborationem alimentorum ad nutritionem ſumtorum non efficere poſſunt. Si igitur moderate nutritus dormit, motu inteſtino ſanguinis in ſomno placido aucto, reſolvuntur humores et turgent; turget enim totum corpus; ex qua re elaboratio humorum circulantium ſequitur et omnes ſe et excretiones facillime procedunt, vel ad idoneam ſeparationem diſponuntur et tandem etiam fluidi nervei ſeparatio efficacior redditur. Viribus etiam univerſis inſtauratis, expergefactus vim cardiacam ſomni experitur. Ex his itaque ſine ulteriori explicatione clarum erit, cur in defectu nutritionis ſomnus non ſuccedat reficiens; cur a nimia nutritione

ſomnus

ſomnus minus tranquillus minusque reficiens; cur in ſomno nimis protracto motus inteſtinus ſanguinis tandem langueat et torpor ſuccedat, ideoque ſe et excretiones et fluidi nervei elaboratio deficiat; cur tunc temporis exercitatio ſuſcepta torporem diſſipet et optimum cardiacum ſit.

Nunc vini vires examinemus. Hominem, ex inanitione vaſorum languidum, hauſtus aquae reficit, quod plenitudinem aliquam vaſorum reſtituit. Vini vis ex ſpirituoſo principio major eſt, facit enim, ut turgeſcant fluida, motumque inde inteſtinum augeant. Hoc vero moderate aucto, motus progreſſivus fit excitatior et nervorum inde excitata vis, oſcillationem in minimis vaſis reſtituit. Nimius vini potus aeſtum, hoc eſt, majorem fluidi ſanguinei turgeſcentiam efficit, quae, ut omnia vaſa diſtendit, ſic praecipue teneriora in cerebri compage poſita; ſecretionem fluidi nervei impedit, torporem et ſomnolentiam inducendo, hinc, vi vini etiam diſcuſſa, languor ſyſtematis nervoſi remanet, qui blanda nutrientia et alia cardiaca requirit.

Turgeſcit vero et, opio ſumto, ſanguis, vaſa diſtendit, quam ob rem motus inteſtinus augetur et febris efficitur. Quod ſi igitur minima ſolida blande oſcillant et cordi moderate reſiſtunt, vel ſpaſtice con-

constricta a spasmo remittunt, tunc circulatio liberior et inde elaboratio humorum universa restituitur, hinc juvatur aeger et vim cardiacam experitur. Quodsi vero vis opii narcotica et somnum inducens efficiatur, tunc nervi omnino laeduntur, languent et blanda nutrientia et cardiaca damnum demum tollunt.

Quum itaque ex iis, quae modo proposuimus, ut somni naturalis et vini, sic et opii vis cardiaca intelliguntur, hanc tamen maxime limitatam esse ex iis patebit, quae in successiva operatione opii animadvertuntur. Turget ab ejus usu massa sanguinis resoluta et hujus mixtio intima turbatur. Est autem haec resolutio, neque inflammatoria, neque putrida, sed inter utramque media, vel ad ultimam inclinans. Ad inflammatoriam enim vergere nequit, quoniam contractio spastica per vim opii deleta est, ideoque summam resistentiam in vasis minimis non efficit. Cum autem nimia sanguinis resolutio in omni febre debilitatem nimiam inducat, illam etiam per febrim, ex usu opii excitatam, remanere, certum est.

In ebrio porro et in eo, qui simili modo ab opio somnolentus fit, omnia vasa et superficies ipsa corporis extenduntur, qui sensus plenitudinis dici

potest

poteſt et ex quo omnia vaſa debilitantur; quod quidem non ita diligenter attendendum cenſerem, niſi vaſa cerebri ſimul diſtenderentur, ex qua re inertia vaſorum relinquitur. Et quando etiam per ſomnum et in eo ſuccedentem ſudorem, turgeſcentia humorum ſanguinisque rurſus diſſipata eſt, tamen dolores capitis, a debilitate oriundi, remanent.

Ea, quae, ad ſolidorum et fluidorum ſtatum reſpiciendo, nunc breviter declaravi, ſatis oſtendunt, non abſolute cardiacam, ſed magis debilitantem vim in opio eſſe, quae quidem intimam mixtionem fluidorum turbat et intimam vim fibrarum nervearum tandem quodammodo debilitat. Nihilo minus tamen judico, opium poſſe in utroque loco, ſi caute fiat atque providenter et languidis interdum et ſpaſmo adfectis propinari. Nam ſi vel maxime virium proſtratio, quae ex opio pendet, non ſubitanea eſt, atque idoneo nutrimento, ſomno et exercitatione, ideoque et in aegris, ope medicamentorum vere cardiacorum quodammodo corrigi poteſt, tamen languor continuus inde exiſtit.

Quemadmodum igitur inter noſtros ii, qui opio perperam utuntur, languidiores ſunt et ut ii, qui vino et ſpiritu vini abutuntur, ſtupidiores evadunt, ſic eum quoque effectum ab opio pendere, a Turcis

ipſe

ipſe cognitum habeo. Inprimis vero inter hos languidam venerem ex opio oriri, ipſi, experientia edocti, confeſſi ſunt, licet ſententiam Cl. TRALLES quod opium ſtimulos venereos inferat *), non plane negaverim. Habet opium, niſi me omnia fallant, cum reliquis aphrodiſiacis, quae ſtimulantia vocamus, hoc commune, ut primo impetu excitatam forte et coactam venerem urgeant, poſtea autem languorem ad opus venereum, nulla arte corrigendum, relinquant.

Ex his omnibus colligo, cardiacas, ſeu potius excitantes vires, opio quidem non prorſus denegandas, eas tamen non abſolutas, ſed maxime limitatas eſſe. Effectus primi in turgeſcentia ſanguinis et febre inducenda ſaepius incompleti ſunt, ita, ut refectio inde ſequi non poſſit. Quod ſi enim effectus opii maſſam humorum non ita reſolvere poſſit, ut, craſi vera humorum inducta et ſpaſmo ſopito, libera circulatio reſtituatur, opio non reficitur aeger. Hinc parvam doſin ſaepius aegro obfuiſſe intellexi, quoniam majore opus fuerat, ad effectum, quem volueram, producendum. Languet igitur debilis aeger ab uſu opii excitatus, licet inani-

*) Tract. de opio. Sect. I. Exper. XII. p. 129.

inanitio vaſorum brevi tollatur et is refici videatur; languet ab uſu opii is, in quo humores nimis turgeſcunt et vis ſolidorum et nervorum impar eſt, iis rite dirigendis. Idque eodem modo fit in ſomno minus tranquillo, in uſu vini immoderato, quibus omnibus debilitari tandem corpora videmus, ita ut vere cardiacis debeant excitari.

Equidem in hac re declaranda ulterius progredi nolo, pauca tamen de uſu opii addenda habeo. Cum ipſe ego medicinam facere inciperem, opium, quoniam triſtes ejus effectus inter Turcas videram, ſemper veluti venenum metui, ita, ut nec aliquos quidem guttulas laudani cuiquam, niſi a WALTHERO iuſſus, exhiberem. Ille autem quamvis nimium opii uſum in alio medico vituperaret, nonnunquam tamen heroica iſta medicina uti, non dubitavit. Poſteaquam monitis et exemplis hujus viri adductus, ad uſum huius medicamenti et effectus ſatis attendere didiceram, id in morbis curandis adhibere conatus ſum et, quia non male mihi ceſſerat, illius uſum et meis diſcipulis commendandum putavi. Cum autem indicatio ipſa quodammodo dubia ſit, et doſis etiam difficilius definiatur, haec, quae in univerſum moneri poſſe videantur, doctrinae noſtrae alumnis inculcare ſoleo.

Ac

Ac primum quidem ſi opio utendum eſt, medicus habeto, primas vias ſatis liberas eſſe debere, ne ſpaſmus a mole et acrimonia ſaburrae, in iis retentae, oriatur. Languidi filii ſpaſmos et debilitatem in variolis opio compeſcere conſtitueram, ſed cum primae viae nondum ſatis liberae eſſent, morbus inde augebatur, donec clyſmatibus, immo his non ſufficientibus, laxante medicina exhibitis, ſpaſmus ceſſaret, ita ut poſtea de alio genere cardiacorum agendum eſſet. Quot triſtes vidi opii effectus a requie NICOLAI, quam mulierculae noſtrae imperitae interdum infantibus exhiberent, in quibus vel meconium vel acquiſita jam ſaburra inteſtinalis ſpaſmorum et anxietatis cauſſa erat. Medicus itaque, qui opio uti vult, ante omnia, num primae viae ſint liberae, inquirere diligenter debet.

Deinde viam etiam ſanguinis bene examinet medicus et ſi plethora vera vel ſanguinea, vel ipſa obeſa adeſt, opio non utatur; facit enim plethoram extemporaneam ſive febrilem. Quemadmodum enim in plethora vera non ſatis correcta, ſic etiam in ſpuria ex cauſſis morbi oriunda opium noxium eſt. Nimia certe fit turgeſcentia ſanguinis, nimia febris et inde ſpaſmus, qui tamen praecipue compeſcendus eſt, levari nequit, ſed aegro anxietas affertur et

vera auxilia, quae citius applicanda fuiſſent, juſto ſerius ſine fructu applicantur.

Si his viis, ut univerſalibus corporis, bene diſpoſitis, ab alia irritante cauſſa ſpaſmi in ſyſtemate nervoſo oriuntur, tunc opium exhibitum excitat circulationem ſanguinis, febrim moderate auget et ſpaſmo ſopito, liberum humorum circulum reddit.

Si itaque in ſpaſmo ab inanitione vaſorum ideoque in inſigni languore aegrorum, opium interdum dari poſſe cognoſcimus, eo tamen reſpiciendum eſt, ut gradum inanitionis bene ponderemus. Si inanitio moderata eſt et tanta ſuppetit ſanguinis copia, quae blande turgeſcere poſſit, tunc aliqua, licet non conſtans, virium excitatio ab opio expectanda eſt: in nimia vero debilitate ſolidorum, cum jactura fluidorum coniuncta, v. e. in haemorrhagiis, modum excedentibus, excitatio ab opio non effici poteſt. Cum autem cardiaca ea, quae vires tantum incitant, nunquam conſtantia ſint, niſi a nutrientibus et roborantibus, vires vitae conſervantibus, ſuſtineantur, ab opio etiam ut cardiaco tali, non niſi limitatas quasdam et quaſi tranſitorias vires cardiacas expectare poſſumus.

Quoniam autem non ſemper parvae doſes opii ſufficiunt, magnae vero, continuato effectu, ad

temu-

temulentiam atque soporem nimis disponunt et ita vires vitae nec sustinent, nec augent, doses magnae quidem eligendae, sed in partes dividendae sunt, ut, ex observatione medici, quavis hora, portio medicamenti opiati sumi et eo usque augeri possit, donec expectatus sequatur effectus. Haec autem continuata medici observatio et ideo necessaria est, quo contraindicantia pateant et vere conspiciatur, cur opium iuvet, vel non iuvet aegrum.

VI.

Commentatio de suctione vulnerum pectoris cum delineatione tubuli ad hos usus apti.

Vulnera recentia pura, sanguinis effluxu sedato, humore lymphatico, ex vasis non nihil contractis, in sano homine affluente brevi conglutinantur; impura autem suppuratione antea purganda sunt, quod blanda inflammatio labiorum vulneris et moderata febris, non solum sufficientem gelatinosi humoris affluxum et promtam puris genesin efficit, sed ichorosi quoque et forte putridi humoris, in cavo vulneris collecti, resorptionem cavet.

Si autem venenatum contagium, vel instrumento laedenti adhaerens, vel morsu animalis venenati irritati, saepe etiam rabidi, ob noxiam salivae indolem introducatur, pessima in universo corpore oriuntur symptomata et vulnera, non tam ex magnitudine, sed ex efficacia venenati contagii aestimanda sunt. Accidit enim haud raro, ut, etsi talia vulnera brevi sanentur, deleterium tamen venenum resorbeatur, corpus totum inficiat et miseram mortem inducat. Suctio vulneris tunc requiritur, quam inter veteres Psylli et Marsi ore efficiebant, non ingenita quidem genti huic contra vim venenorum efficacia, sed quod ore et labiis puris, nullo vulnere laesis, sine metu infectionis sugere poterant. Non blanda tamen suctio exigebatur, sed vehemens, quae totum vulnus sugillatione laedebat et virus susceptum, si forte non totum sugi posset, in loco laeso ad minimum coercebat. Nostris temporibus, cum chirurgi dubium hoc et forte noxium ipsis officium praestare recusent, ligaturis parti injectis, scarificatione profunda et suctione per cucurbitulas, cum multa flamma applicatas, veneni contagium, dummodo nondum resorptum fuerit, cum sanguine educere tentant. Vulneris labia praeterea irritando, digestiva et emollientia medicamenta postea applicando,

cando, largam et diuturnam ſuppurationem fovent, vt, ſi quid maligni humoris adhuc corpori inſit, hoc ad vulnus derivetur et ita educatur.

Non ſolum vero labia vulneris depuranda et ad bonam ſuppurationem diſponenda ſunt, ſed ex cavitatibus ipſis, in quas ſanguis vel alius humor deſcendit, varia ratione et ſuctione etiam hic educendus eſt. Si humor ſub calva fracta effuſus eſt, vel cerebrum ipſum ſe expandens, tuſſi quoque et inſpiratione longius protracta, cum membranis involventibus elevatum, eundem exprimit, vel partibus calvae modiolo exſciſſis et fragmentis paſſim elevatis remotisque, humor extravaſatus puluillis lineis ſiccis ſugitur, linteisque carptis blande abſtergitur. In abdomine etiam profunda inſpiratio, quae viſcera verſus parietes urget, effuſos humores ſanguineos, ſeroſos et purulentos, ad ora vulneris ducit, ut effluant, et, ſi vulnera ampliora ſunt, pulvillis etiam ſiccis ſugantur. Simili tandem ratione humores varii morboſi ex pectoris cavo educuntur et cum in ſitu apto corporis pro parte effluant, pulvillis recte diſpoſitis, in libero effluxu juvantur.

Effluxum hunc chirurgi periti attente regunt et juvant. Sub fornice caluae haerentem ſanguinem reliquosque humores, quod mollem encephali fa-

bricam ejusque partes premendo soporum aliorumque pessimorum symptomatum caussa sunt, protinus quidem educere tentant: cum autem novus affluxus ex vasis, acutis ossis fracti partibus laesis, oriatur, haec variis artibus removere intendunt. In aliis cavitatibus sanguinis effluxus quidem non tam celeria et noxia symptomata efficit, attamen haemorrhagia vasorum vulneratorum non cohibetur, nisi sanguis effusus concrescat et ita thrombus, orificium vulneris obturans, colligatur. Quemadmodum igitur tum, cum sanguis vel per se, vel suppuratione mota effluit, suctio, orificia vulnerum nimis stringens, non admittenda est, ita nonnunquam tamen suctionem vulnerum salutarem fuisse, chirurgorum observationes docent.

De suctione vulnerum pectoris nobis praecipue agendum est, quod multa hic occurrunt impedimenta, quae, facili humoris egressu tardato, suctionem exigunt. Aër enim elasticus per vulnera, quae in cavum pectoris penetrant, protinus ingreditur, qui non solum labiis vulneris molestum et saepe late se expandens emphysema inducit, sed et in cavitate contentum pulmonem ita comprimit, ut ejus expansio in inspiratione humores morbosos collectos, vel medicatos, ad depurationem injectos,

nec

nec ſatis urgere, nec exprimere poſſit: colluvies potius acris et rodens in cavitatem pectoris inferiorem, poſt diaphragma praecipue, deſcendit et liberam reſpirationem maxime impedit. Quam ob rem de variis auxiliis educendi humores cogitandum eſt.

Nulla profecto, ſi nimia et corrupta colluvies humorum in cavitate pectoris effuſa eſt, melior et aptior evacuatio ſuſcipitur, ea, quam ad pus evacuandum in empyematis operatione invenerunt chirurgi. Quod ſi enim pus in vomica rupta, ſanguis in vulnere, aqua in hydrope pectoris, vel aliud corpus peregrinum per vulnus intruſum educendum eſt, inciſione longitudinali vel non nihil obliqua, per cutim et muſculos facta, locus inter nonam et decimam coſtam detegitur *), intercoſtalibus muſculis et pleura proxime ſuper marginem coſtae decimae ſuperiorem inciſis et vulnere, quantum fieri poteſt, amplificato, per hoc omnis noxia colluvies ex pectore effluit et educitur. Et profecto tum,

*) Inter ſextam et ſeptimam coſtam medio loco inter ſternum et ſpinam inciſionem efficere jubet SAMUEL SHARP *a critical enquiry into the preſent ſtate of Surgery.* p. 237. de empyemate edit. Londini 1754. 8vo maj.

cum laeſio, quae extravaſationis cauſſa eſt, in parte ſuperiori thoracis infligitur, humores in pectus deſcendentes nullo alio modo educi poterunt.

Durum quidem videtur vulneri thoracis moleſtiſſimo, non raro cum coſtarum fractura conjuncto, aliud adjicere: non ſolum enim ſitus aegri ſic incommodus redditur, ſed febre etiam valida, inflammationibus et ſuppurationibus adeo agitatur et debilitatur, ut noctibus inſomnibus vexatus, blanda autem refectione deſtitutus, ſanationem vulnerum bonorum humorum elaboratione juvare nequeat. Hinc etiamſi, ut ſaepe fit, ex vulnere aliquid ſanguinis, vel geniti poſtea puris, in thoracem defluit, tentandum omnino eſt, num ſitus aegri ita ad vulneris directionem accommodari queat, ut materia, latendo et quieſcendo noxia futura, viam effluendi inveniat. Chirurgi itaque monendi ſunt, ne vulnera thoracis, etiam leviora, turundis nimium obturent, vel pulvillis, quibus medicamenta illiniunt, arcte admotis exitum collecti humoris corrupti ipſi impediant. Et quamquam tubulos, ex orichalco vel alio metallo fabrefactos, ad materiam derivandam in vulnera immittendos, non probamus *), quod labia vulneris

*) Horum delineationes exhibuit IOHANN SCVLTETVS

ris callosa reddunt et raro plus humoris educunt, quam quantum sponte ex vulnere emanaturum erat, in levioribus tamen thoracis vulneribus linteolum, cujus margo in fila resolutus est, ad sugendam materiam effusam sufficere credimus. Quod si vero in disquisitione vulneris copiosior humor propullulet, isque ob febrem simul motam nimis validam saniosus et putridus reddatur; quod si porro ad diluendos humores stagnantes liquores mundificantes, ex scordii et agrimoniae infuso cum melle, terebinthina, vitello ovi soluta, vel liquamine myrrhae remixti, vel alia ratione praeparati, injiciendi sunt, non satis effluunt, nisi iterum per suctionem vulneris evacuentur.

Etsi vero SCVLTETVS *) cannulam ex auro fabrefactam plurimis foraminulis perforatam et stilum similem priori immittendum delineat ac describit et materiam purulentam aliamque ita educi posse perhibet, tamen quomodo parvo hoc instrumento, nullo embolo instructo, suctio fieri possit, non intel-

TETVS in Armamentario chirurgico. Tab. XII. fig. 12. 13. 14. 15. et LAVRENTIVS HEISTER in institutionibus chirurgicis. Tab. II. fig. Q. R. S. item tubulum similem argenteum flexilem. Tab. V. fig. 9.

*) l. c. p. 8. Tab. cit. fig. 9. et 10.

intelligo. Quam ob rem inventum DOMINICI ANELL *), qui ſiphoni tubulos, in amplum orificium variae figurae extenſos adaptare jubet, quo inſtrumento ad vulneris ambitum fortius appreſſo, ſuctio humoris ex thorace perficiatur, quoque commemorandum eſt. Quanquam vero rationem et methodum ſuctionis vulnerum abunde declaravit et apparatum huic operationi aptum tribus tabulis declaravit, tamen, ut nobis videtur, operoſius in hac re verſatur et labia vulneris preſſione nimia et repetita irritat. Quod ſi vero ejus methodus non prorſus improbanda eſſet, apparatus tamen ad hanc operationem neceſſarius, amplior eſt, quam qui chirurgo, vulnera tractanti, commodus eſſe poſſit. Suctionem hanc quovis tubulo, ad ſugendum apto, in thoracis cavum immiſſo, ore chirurgi optime fieri poſſe, patet; quoniam autem haec ſugendi methodus

*) vid. Libellum *l'art de ſuccer les playes ſans ſe ſervir de la bouche d'un homme.* qui et Amſtelodami prodiit 1707. 8vo. Siphonem et tubulos adaptandos quoque delinearunt HEISTERVS l. c. Tab. VI. fig. 8. et 9. et *Deſcrizione degl' inſtrumenti, delle machine e delle ſuppellettili raccolte ad uſo chirurgico e medico,* dal P. Don IPPOLITO RONDINELLI Ferrareſe opera di Don MAURO SOLDO Breſciano. In Faenza 1766. 4to maj. p. 35. Tab. XXVI. fig. 1.

dus non tantum ingrata, ſed etiam noxia eſt, inſtrumento quodam in hos uſus invento, hoc commodius fieri poſſe nunc declarabimus.

Vir triginta quatuor annorum, ad melancholiam pronus variis de cauſſis aucto moerore, ſibi manus violentas intulerat; forfice nimirum ſat craſſo inter ſextam ſeptimamque coſtam ſiniſtram a latere ſterni, vulnus pollicis unius cum dimidii latitudine ſibi inflixerat. Cum nullum majus vas ſanguiferum laeſum eſſet et parum ſanguinis ex vulnere efflueret, opinio quoque erat, parum vel nihil in thoracem defluxiſſe; reſpiratio enim libera et aequalis erat et aeger, quamquam animo minus tranquillus, de anxietatibus, ex corporis diſpoſitione pendentibus, non conquerebatur. Vulnus igitur ut recens tractabatur, pulvillis, digeſtiuis inunctis, leviter impoſitis, recteque munitis, ne in thoracem gliſcerent: ſuppuratio enim juvanda erat, quod forficis rudi impulſu vulnus non ſciſſum adeo, ſed non nihil contuſum apparebat. Sanatio quidem ex voto ſucceſſiſſet, ſi aeger corporis integro habitu et animo tranquillo fuiſſet; multa tamen, quae curationem impedirent, ſe offerebant. Febris incendebatur, non inflammatoria, quae pro conditione vulneris tantum exigua fuiſſet, ſed fere putrida, cujus

jus caussa in antecedenti et minus ordinato vitae genere et inprimis vehementissimis animi pathematibus, quibus agitari solebat, posita erat. Medicamenta, quae ei utilia esse poterant, diluentia, antiphlogistica, laxantia ac antiseptica et ipsa clysmata, vel prorsus non, vel sine ordine admittebat, victu vix ullo utebatur et potum quoque parcius hauriebat. Nulla praeterea ratione ad situm tranquillum corporis adigi poterat. Vel enim inquietus in lectulo jactabatur, vel per plures horas in conclavi anxius obambulabat, quam ob rem non solum sanies ex vulnere in thoracis cavum descendebat, sed alii quoque perversi humores ex corpore eo confluebant.

Haec itaque humorum colluvies, ob situm lateralem neglectum, nec sponte effluebat, nec effluxus ejus, linteolo fimbriato immisso, satis juvari poterat, inprimis cum ad eam eluendam et humorum putredinem cavendam infusum herbae hyssopi et agrimoniae injiciendum esset. De eductione igitur solliciti et Anelliano instrumentorum apparatu destituti, eorum usum in sugendis vulneribus tentare non poteramus. BREVERVS ergo, chirurgus scientissimus, quem in institutionibus chirurgicis §. 973. laudavi, tubulo anatomico in pectus immisso,

miſſo, ore ſugebat, id quod aliquoties fieri patiebar; ſed foetore ingrato percepto, cum aeger interea, morbi putridi gravitate aucta, purpura maligna laboraret, chirurgum ſugentem in vitae periculum conjici nolebam. Is vero tubulo medio primum adaptabat vitrum cavum, ut humor ſugendo eductus in vitrum deſcendere poſſet: ſed quoniam ore plus ſugebat, quam in vitrum deſcenderet, illa ſpe excidimus. Mechanico itaque conſulto, laminam quandam in tubulo ita fiximus, ut, cum aër per foramen parvum, poſt laminam relictum, ex lagena vitrea affixa ſugeretur, ante laminam formatus canalis omne fluidum, ex pectore educendum, in lagenulam transmitteret, quae, cum per cochleam ad tubulum aptata eſſet, removeri tandem et depurari poterat.

Fateor equidem, ne ſic quidem halitum omnem putridum et forte contagioſum futurum, ab ore chirurgi auerti poſſe; tenendum autem eſt, non in omnibus aegris humorum adeo foetidum confluere, quam in eo, quem tunc tractavimus, inprimis ſi putredo injectionibus blandis, eam corrigentibus, et ea ratione halitus noxii quoque temperentur. Chirurgus tandem, qui ſugit, os non tantum aqua tepida eluat, ſed fauces etiam gargariſando purget, quibus

quibus auxiliis damnum, ex halitu impuro metuendum, prorſus avertitur.

Sed ſuctionis labor et metus ſuſcipiendi putridos halitus, a chirurgo prorſus declinari poſſet, ſi ad tubulum noſtrum ſipho, eodem, quo ANELLIVS docuit, modo, applicaretur; vel ſi ſiphonibus tubuli variae figurae in extrema parte foraminulis pertuſi adaptarentur *), quorum ope humor educi poſſet; ſuctionem autem, ore factam, blandam et aequalem eſſe, quilibet concedet, quae ſi ſiphone peragitur, ſemper interrupta eſt. Parum enim aeris, embolo reducto, ex lagenula educitur, quamobrem inſtrumentum mox removendum et embolus denuo adigendus eſt. Quod ſi etiam ſipho ita conſtrueretur, ut alternis vicibus embolus reduci et iterum adigi poſſet, aere per foramen laterale expreſſo, vereor tamen, hac ratione aerem, ut ſubtiliſſimum fluidum, nimium in thoracem irrepere, ideoque corruptionem humorum et noxam, inde pendentem, augeri. Inſtrumentum itaque accurate delineatum, ejusque uſum judicio exercitatiſſimorum chirurgorum lubenter ſubmittimus. In inſtrumentorum enim chirurgicorum inventionibus, eo reſpiciendum

*) vid. HEISTER loc. cit. Tab. VI. fig. 11. SOLDO Tab. XXVI. fig. 2. 3. 4.

dum eſt, ut ſimplicia nec nimis compoſita ſint, ne ingenium in iis magis ſe oſtendat, quam genuinus uſus.

Tabulae Explicatio.

Fig. I. A. B. Tubulus ad ſugendum aptus.

C. Media eius pars perforata et ita adaptata, ut

D. Lagenula, mediante cochlea, ei applicari poſſit.

a. b. Segmentum tubuli nunc deſcribendum.

Fig. II. a. b. Segmentum tubuli integrum.

c. Canalis, ex medio tubulo in lagenam deſcendens et cochlea, cui lagena affigitur.

d. Foramen parvum, aerem ex lagenula in tubulum transmittens.

Fig. III. a. b. Segmentum tubuli perpendiculariter diſſectum, quod interiorem fabricam oſtendit.

c. Diaphragma ſeu lamina, medium tubulum interſepiens.

d. Canalis a parte anteriori.

e. Foramen a parte poſteriore ſepti.

VII.

De ſulphuris venerei viribus et efficacia in curanda epilepſia habituali. Auctore I. E. GREDING.

Etſi internus medicamentorum ex cupro praeparatorum uſus, caute admittendus, nec paucis fallax atque ſuſpectus, viſus eſt, fama tamen, quam HELVETII quondam antepilepticum puerorum, vel teſtante Ill. BOERHAAVIO a), e ſeculo ſuperiore jam adquiſiverat, quamque Cl. WEISMANN de ſale ſuo, ex prioris tinctura coerulea elicito, in profliganda epilepſia habituali, multis encomiis exornaverat b), una cum miſerrima aegrorum, tam diro tamque diuturno morbo laborantium, conditione, me iam dudum commoverant, ad cupri vires, in debellando hoc herculeo morbo, paullo curatius examinandas. Eventus autem, qui Cl. LE CHANDELIER cum ſale hoc antepileptico Weismanniano, in quatuor epilepticis, minus proſpere ceciderat c), conſilii mente agitati exſecutionem ali-

a) Element. Chem. Tom. II. Proceſſ. CLXXXIX.

b) Nov. Act. Phyſico-Medic. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Tom. I. Norimb. 1757. 4to. Artic. 67. p. 276. ſeqq.

c) Journal de Medecine cet. par M. VANDERMONDE. à Paris. Tom. XI. Juillet. 1759. p. 45. ſeqq.

aliquamdiu retardavit. Cum vero novum quoddam antepilepticum, hoc noſtro demum ſeculo, ut iactabatur, e cupri et mercurii connubio detectum, ac Celeberrimorum in arte medica Virorum experimentis comprobatum, a Cl. PASQUALLATI d) eſſet propoſitum, iſtud, ineunte decembri, 1766. ſtatim ipſe praeparandum curavi.

Dimi-

d) vid. Additamentum Diſſert. med. inaug. de Epilepſia, auct. IOSEPHO BENED. PASQUALLATI, Tergeſtino ex littore Auſtriaco menſe Auguſto 1766. Vindobonae Typ. Ghelen. 8vo. Et cum forſan minus cognita ſit, liceat hic eius formulam ſuppeditare.

„Rec. Vitrioli cyprii unc. XVI. ſolve leni calore „in ſ. q. aquae pluviae, dein filtro depura.

„Huic ſolutioni impone, in vaſe victili vitreato pla„no, lamellas ferreas terſiſſimas, quas ibi relinque per „viginti quatuor horas. Cuprum dum invenitur par„tim laxe cohaerens lamellis ferreis, partim in fundo „vaſis.

„Deterguntur nitide lamellae et denuo immittuntur „huic ſolutioni, ſicque pergitur, donec omne cuprum „praecipitatum fuerit.

„Cuprum hoc ſaepius abluatur aqua pura, dein ſic„catum ſervetur ſub titulo *Cupri Virginis*. Ex un„ciis XVI. vitrioli cyprii in experimento, hac methodo „inſtituto, collectae ſunt unciae tres, drachmae quin„que et ſcrupulus ſemis cupri virginis.

„Rec.

Dimidia autem libra vitrioli cyprii, pauciſſima grana ſupra sesqui unciam cupri virginis largita eſt. Huius sesqui uncia exacte ponderata, cum unciis quinque et drachmis duabus mercurii, ex cinnabari reſuſcitati, ita, praeſcripto modo, in amalgama redigebatur, ut drachmae duae inter miſcendum perde-

„Rec. Cupri Virginis unc. iij. Mercurii deſtillando „puri redditi unc. IX. Diu terantur ſimul in mortario „vitreo, cui parum ignis debet ſupponi, ut calefcat „modice; tunc mercurius incipit lenteſcere et cupro „uniri ita, ut integre diſpareat mercurius et amalga- „ma fiat.

„Hoc facto, additur aliquid mercurii, qui terendo „illico diſparet; addebatur iterum aliquid mercurii, „qui ſimiliter diſparebat brevi. Tota quantitas mer- „curii miſti cum unciis tribus cupri virginis erat unc. „XII. cum ſemiſſe.

„Hoc amalgama digeſtum fuit per menſem in parva „cucurbita in arena calore centum graduum. Amal- „gama tunc redditur fuſcum, pulverulentum, quod „tritum cum aqua pluviae, dat pulverem ex viridi ni- „gricantem copioſum, qui ſiccatus ſervatur ſub nomi- „ne *ſulphuris cupri*.

„Doſis Celeberr. Viror. experimento confirmata, eſt „grani unius per diem mane ſumendi, quandoque ad „grana duo extenditur, ac poſſet fortaſſis etiam, pro „morbi aegrique ratione tentari exhibitio plurium.“

perderentur. Hoc ultra dies triginta, calore centum ad minimum graduum digeſtum, poſteaque aqua pluvia tritum, nonniſi drachmas tredecim cum ſcrupulis duobus pulveris ex viridi nigricantis, ſulphur cupri dicti exhibuit. Ex reliquo amalgamate unciarum quatuor et drachmarum fere ſex, quod, trituratione quam diutiſſime protracta, nullum pulverem ſuppeditabat, quodque a medio ianuar. 1767. usque ad initium martii 1769. ſuper fornace piſtoria, quotidie, ad panem aliquoties coquendum calefacta, denuo digeſtum, ſat diu molle tactuique cedens perſtitit, tandem vero duritiem lapideam induit die 10. martii 1769. Aqua pluvia diutiſſime tritum, vix drachmam dimidiam ſulphuris ſic dicti cupri obtinui, remanente amalgamate ponderis unciarum quatuor et trium drachmarum, quod eodem loco repoſitum, ulteriusque digeſtum anno poſt, trituratione denuo inſtituta, aquam quidem nigricantem reddidit, in filtro autem vix quicquam pulverulenti reliquit.

Experimenti gratia cani nigro minori villoſo eſurienti d. 24. ianuar. 1767. tempore matutino, nil niſi panis fruſtulum, granis tribus huius pulveris conſperſum, atque pauxillo butyri ſuperillitum, devorandum praebui. Optime exinde valuit per

totum diem. Deglutito autem d. 25. ianuarii ſcrupulo huius pulveris dimidio, eadem ratione occultati, bis vomuit quidem, circa meridiem tamen cibum adpetiit, beneque valuit. Mirabar ideo, longe minorem doſin granorum quinque d. 26. ianuarii eidem non ſolum crebriores vomitus cieviſſe, ſed eum etiam languidum humi proſtratum, nec in pedes ſurgere valentem, nec quidquam adpetentem, reddidiſſe. Quae omnia tamen, ingeſta uncia olei olivarum, brevi evaneſcebant ita, ut paullo poſt longe alacrior factus, circa meridiem rurſus cibum adpeteret et die ſequenti, nullo accepto pulvere, bene valuit. Cum vero tria huius pulveris grana d. 28. et 29. ianuarii, quolibet mane eadem ratione data ſanitatem eius nullo modo immutarent, eum d. 31. ianuarii ſanum vegetumque dimiſi.

Sulphur hoc dictum cupri cum parva aequali quantitate mucilaginis gummi arabici et ſyrupi de poeonia ita in pilulas redigendum curavi, ut quaelibet granum unum eiusdem contineret, aegrisque epilepticis eo commodius quolibet mane debita doſis porrigi poſſet. Uſi vero ſunt hoc remedio ſeptem epileptici, in quorum morbi deſcriptione mihi ideo breviorem eſſe licebit, cum eorumdem hiſtoriae iam alibi ſatis deſcriptae inveniantur. Initium autem fecit

1) Ho-

1) Honeſtiſſima virgo viginti circiter annorum, cum ob epilepſiam, inter belli turbas a terrore anno 1757. contractam, menſe auguſto 1765. Ptochotropheo Waldheimenſi inſereretur e). Variis iam antea fruſtra tentatis, ſpes quoque illam, morbo menſtruis erumpentibus ſolutum iri, fruſtrabatur. Haec enim d. 14. decembris 1765. primum et hinc ſemper ſat regulariter riteque promanantia, nec in morbi vehementia, nec frequentia quidquam immutarunt. Superatis itaque d. 4. februarii 1767. duobus vehementiſſimis epilepſiae paroxyſmis, a d. 5. februarii usque ad d. 6. iunii drachmas duas ſulphuris cupri, quolibet mane ſcilicet pilulam unam deglutivit. Die 5. et 6. februarii dimidia circiter hora poſt deglutitam pilulam, aquam cum pituita, d. 7. pituitam virideſcentem et d. 21. februarii perparum evomuit, alvo inter haec, totumque curationis tempus, nec ſtrictiore nec laxiore reddita. Quodſi vero poſt deglutitam pilulam, tantillum panis, butyro illiti, comederet, nauſea tantum, ſine ullo ſubſequente vomitu illam invaſit. Die 11. apri-

e) Cum plerique horum poſtea ſtramonii extracto uſi ſint, cuius effectus in Adverſ. hor. Medic. Pract. Vol. I. P. II. deſcripti leguntur, huius morbi hiſtoria ſub no. 28. pag. 292. uberius expoſita invenitur.

lis vix deglutita pilula subito per breve tempus sensuum et cogitationum expers fuit, post lenem deambulationem demum ad se rediit. Menstrua d. 20. februarii, 31. martii et d. 8. maii rite, d. 6. iunii vero nimis parce accesserunt. Mitiores interea epilepsiae insultus quadraginta et quod excurrit, quandoque bis vel ter de die (d. nimirum 5. 7. 11. 13. 14. 15. 23. 24. 26. 28. februarii, d. 4. 12. 15. 24. martii, d. 1. 15. 16. 17. 25. 30. aprilis, d. 1. 8. 12. 15. 19. 24. maii, d. 2. 3. et 4. iunii), fortiores autem, quin et vehementissimos, quindecim (d. scilicet 11. 19. 22. martii, d. 8. 9. aprilis, d. 5. 9. 10. 20. 21. maii et d. 1. iunii) experta est, quorum ille, qui d. 10. maii noctu accedebat, e lecto illam excussit. Cum igitur hoc remedio nihil plane allevaretur, die 6. junii, instantibus menstruis, ab ulteriore continuatione exclusa est.

2) M. E. R. viginti trium annorum innupta f) a d. 14. februarii usque ad d. 6. iunii 1767 grana 113. sulphuris cupri, totidem pilulis, ita deglutivit, ut nec nauseam, nec vomitum. nec alvi laxitatem inde experiretur. Die 22. martii post fortiorem epilepsiae insultum menstrua consueto copiosiora accesserunt. Levioribus saepissime, fortioribus

f) vid. Advers. Part. II. no. 27. pag. 289. seq.

bus vero epilepſiae paroxyſmis novies (d. ſcilicet 6. 12. martii, d. 3. 28. aprilis d. 18. 24. 26. 27. maii et d. 3. iunii correpta, nec a ſcabie ſicca d. 22. februarii ſponte erumpente, nec a ſulphure cupri ullum levamen ſenſit, hinc eidem d. 6. iunii ulterior huius remedii uſus denegabatur.

3) D. E. Z. feminae triginta quinque annorum, ex anno aetatis tertio, quo vehementiore tonitru perterrebatur, epilepſia laboranti g), a d. 7. martii usque ad d. 6. iunii 1767. drachmam unam cum dimidia ſulphuris cupri, nonaginta pilulis, exhibui. Prima autem pilula, matutino tempore vix deglutita, tam vehemens nauſea, tamque diuturnus fortisque paroxyſmus epilepticus ortus eſt, ut non niſi hora tertia pomeridiana finiretur. Die 15. martii ſemel et d. 16. maii ſaepius ſponte vomuit, d. 18. aprilis autem de oris tantum amaritie conqueſta eſt. Menſtrua d. 15. martii et d. 8. aprilis iuſto copioſius, d. 6. maii et d. 2. iunii vero rite acceſſerunt. Poſt primum vero d. 7. martii adeo vehementem epilepſiae paroxyſmum, undecies inſuper (d. ſcilicet 10. 17. 31. martii, d. 1. 15. 16. 23. 26. 30. aprilis, d. 18. maii et d. 3. iunii) vehementiſſimos et maxime diuturnos epilepſiae paroxyſmos, ſeptem, decem,

g) loc. cit. no. 31. pag. 299.

cem, duodecim, quin imo et octodecim horarum ſpatium ſine ulla vix conſpicua intermiſſione, maximaque artuum atque capitis concuſſione durantes, experta et hinc ab ulteriore hac curatione excluſa eſt.

4) C. S. F. epileptico-maniaca h) viginti octo vel novem annorum, a d. 8. martii usque ad d. 27. maji 1767. ſcrupulos quatuor ſulphuris cupri, octoginta circiter pilulis, absque nauſea deglutivit, d. 10. aprilis autem vehemens, ipſi non inconſueta, alvi adſtrictio cum magno corporis calore et d. 14. aprilis poſt pilulae deglutitionem, vomitus ſpontaneus acceſſit. Inter haec vero decies (d. ſcilicet 16. 18. 24. 26. 27. martii, d. 14. 21. 27. aprilis et d. 27. maji) ſat fortibus epilepſiae paroxyſmis correpta, nullo modo perſuaderi potuit, ut in his pilulis amplius utendis perſeveraret.

5) I. S. F. epilepticus viginti ſex annorum i) a die 19. mart. usque ad d. 22. auguſti 1767. ſcrupulos fere octo ſulphuris cupri, centum et quinquaginta

h) vid. Adverſ. Med. Pract. P. I. de Extr. Hyoſc. no. 38. pag. 105. Eadem quoque medio decembris 1768. ſtramonii pilulas vix biduo ſumſit, animoque iam longe hebetior eſt.

i) loc. cit. Part. II. no. 32. pag. 303.

ginta ſex pilulis deglutivit, nec nauſeam, nec vomitum, ſed potius aliquoties magnam alvi adſtrictionem, atque inter haec novies leviores ſpaſmos (die ſcilicet 21. 28. aprilis, d. 5. maji et d. 17-22 auguſti) frigora et dentium ſtridores, quater autem (d. 14. aprilis, 28. maji, 27. iulii et d. 22. auguſti) vehementiſſimos epilepſiae paroxyſmos ſuſtinuit, nullaque mutatione orta, ad hunc usque diem de reliquo ſat bene valet.

6) Nobilis e generoſa ſtirpe oriundus iuvenis viginti et quod excurrit annorum, e quatuordecim retro annis, quolibet menſe, ſemel, bis vel ter, uno vel pluribus epilepſiae paroxyſmis vexatus, omnibusque contra hunc morbum a variis, iisque uſu praeſtantiſſimis medicis iam fruſtra tentatis, tandem etiam hoc remedio a d. 12. maji usque ad d. 17. octobris 1767. uti coepit ita, ut ſenſim ſcrupulos octo, 160 pilulis, deglutiret. Nullam fere nauſeam excitarunt, inter eius vero uſum haemorrhoides a d. 24. usque ad d. 28. maji fluidas cum larga d. 27. maji diarrhoea expertus eſt. Initio ſeptembris per intervalla, horam vel integram durantia, pituitam tuſſi cum intermixtis parvis globulis, materiam albam, plerumque foetidam continentibus pri-

primum k) exſcreavit et d. 9. ſeptembris magnam pituitae copiam evomuit. Leviores epilepſiae inſultus eum novies (d. ſcilicet 14. maji, d. 20. iunii, d. 1. 2. 3. 24. iulii, d. 15. auguſti, d. 30. ſeptembris et d. 6. octobris) vehementes vero paroxyſmi decies ſepties (d. 13. maji, d. 8. 9. iunii, d. 11. 12. 13. 14. iulii, d. 9. 18. 19. auguſti et d. 7. 8. 9. 29. ſeptembris invaſerunt. Hinc nullo levamine orto, ulterior curatio d. 17. octobris intermiſſa eſt.

Inefficacia igitur huius parvae doſis ſatis perſpecta, maiori ferendae, ut nihil intentatum relinquerem, aptiſſimus omnino videbatur.

7) G. C. robuſtiſſimus, vere, ut vulgo dicitur, quadratus et voraciſſimus homo, triginta annorum, qui nono aetatis anno epilepſia adeo gravi adfligebatur, ut, quotidie aliquoties miſerrime convulſus, in magnam tandem animi hebetudinem incideret. Omnibus igitur contra hunc morbum iam fruſtra tentatis ſtramoniique extracto a d. 3. februarii, a d. 4. martii 1769. ſine ullo levamine ſumto l), eidem, praevio dato laxante, d. 22. martii pilulam unam, d. 23. 24. et 25. quotidie duas, d. 26-29. quotidie

k) Idem poſtea ſaepius factum eſt. conf. loc. cit. no. 26. pag. 287.

l) loc. cit. no. 19. pag. 277.

die tres, d. 30. et 31. martii quotidie quatuor, d. 1. aprilis quinque, d. 2. tres, d. 3. et 4. prorſus nihil, d. 5. unicam, dein vero a d. 6. usque a d. 29. aprilis quotidie duas, mane nimirum et veſperi unam pilulam exhibui, ita, ut his triginta ſeptem diebus in univerſum plus quam ſcrupulos quatuor ſulphuris cupri, octoginta duabus pilulis, deglutiret. Harum uſus nec nauſeam, nec vomitum excitavit, poſt primae autem pilulae deglutitionem, praeter conſuetudinem ad meridiem usque prorſus nihil ciborum adpetiit, adpetitu d. 25. martii demum in integrum reſtituto. A d. 27. martii alvum quotidie quater vel quinquies laxiorem depoſuit, beneque ſemper dormivit. Poſteaquam autem d. 1. aprilis quinque pilulas deglutiverat, epilepſiae paroxyſmi per aliquot dies adeo exaſperabantur, ut, cum vehementiſſimi eſſent, illum, e lecto excuſſum, languentem ſtupidumque relinquerent, urina inter haec praeter conſuetudinem inſcio aegro ſecedente. Doſi igitur imminuta aeger a d. 9. ad d. 22. aprilis, miteſcentibus paroxyſmis, pro morbi ratione, optime valuit; a d. 23. vero usque ad d. 29. aprilis denuo longe vehementiores et frequentiores revertebantur, ita, ut ab hoc remedio nec aucta, nec imminuta doſi, ullam morbi allevationem obſervare poſſem.

Intra

Intra hos enim triginta novem dies, octoginta accessiones leviores (d. scilicet 24-27. 29-31. martii, d. 1-3. 5. 7. 8. 10-18. 20-23. 25. 27-29. aprilis) et quadraginta sex paroxysmos fortiores (d. scilicet 22. 23. 26. 27. 30. 31. martii, d. 1-3. 6. 16. 17. 21-25. 27-29. aprilis) expertus est, qui d. 2. 3. et 27. aprilis praesertim et frequentissimi et omnium vehementissimi observabantur.

Cum igitur HELVETII sic dictum antepilepticum puerorum et WEISMANNI crystalli venereae antepilepticae tam crebriores vomitus, quam vehementiores alvi purgationes m) excitaverint, hoc certe consilio venereum sulphur longe tutius, mitiusque egisse deprehenditur. Subitanea enim per breve tempus sensuum obnubilatio (no. 1.) et haemorrhoidum fluxus, cum globulorum exscreatione (no. 6.) huic remedio nequaquam tribui posse videntur. Unicus tantum ex eius usu adpetitum (no. 7.) aliquamdiu imminutum sensit; duae insigniorem nauseam (no. 1. et 3.); quatuor vomitum (no. 1. 3. 4. 6.); duo alvi purgationem (no. 6. 7.); totidemque notabilem quamdam alvi adstrictionem (no. 4. 5.) exinde perceperunt. Nec menstruorum negotium a cupri sulphure turbatum esse perspi-

m) conf. loc. not. a) et c) citat.

perſpicitur (no. 1. 2. 3.), licet illa interdum paullo copioſiora promanaverint. Ceterum autem praecedentes ſeptem hiſtoriae ſatis ſuperque demonſtrant

Hoc cupri ſulphur

tam parva, quam auctiore doſi, nec in curanda, nec in ſublevanda epilepſia habituali quicquam valuiſſe.

VIII.

De morbis epidemicis vernalibus obſervationes ſingulares.

Etſi vernali tempore in noſtro climate morbi, epidemice graſſantes, ex conſtitutione hiemis frigidioris et ſiccioris vel tepidioris et humidioris dijudicandi ſunt; etſi febres catarrhales leni ſudore gravedine et coryza crebriusque tuſſi et rejectione pituitae plus minus viſcidae et acris brevi finiantur; etſi vernalis aura, libera reſpiratio et aliqua exercitatio corporis, curationem horum morborum maximopere juvat; etſi ab iis, qui, vitae laborioſae dediti, corpora omnibus aeris viciſſitudinibus et injuriis exponere ſolent, acceſſiones plurium morborum vernalium ſaepe patienter feruntur, atque ſine conſilio medici et ſaepe ſine uſu medicamentorum tranſ-

tranſeunt: medicorum tamen attentio et in his non prorſus intermittenda videtur. In univerſum enim non ſolum initia leviorum morborum, diaetae potiſſimum neglectu in graviores acutos et chronicos convertuntur, ſed et diſpoſitiones ſingulorum hominum, quibus unus prae altero ad hunc vel illum morbum inclinat, caute dirigendae ſunt et mutandae, quo vehementiores impetus avertantur. Quamobrem medici, quibus in familiis quibusdam cura ſanitatis commiſſa eſt, vernali potiſſimum tempore examen inſtituant et methodum medendi ad morbos venientes et haud raro clanculum obrepentes accommodent.

Id autem ſi quis rite efficere velit, eum oportet hiemis et veris viciſſitudines diligenter conſiderare. Hiems enim tepidior et humidior, cujus viciſſitudines ſanitati tam infenſae videntur, ideoque futuros morbos vernales pronuntiant, ſaepe ſine noxa eſt, dummodo venti, aerem agitantes, putridum quaſi ſtatum atmoſphaerae corrigant. Hiems quidem frigidior et ſiccior, quae climati noſtro magis accommodata reperitur, majores inſidias ſanitati ſtruit, ſi vernale tempus humidum et calidum ei ſuccedit, ideoque ſolida, quae rigida per hiemem erant et fluida nimis denſata ſubito ac vehementer reſolvit.

Hac

Hae et aliae tempeſtatum mutationes in noſtra planitie, a montoſis locis remota, omnino attendendae ſunt, cum nimis varient et ſubito ſaepe ſe invicem excipiant. Etſi vero hae viciſſitudines atmoſphaerae univerſales in cauſſis morborum vernalium definiendis negligendae non ſunt, partiales tamen majorem medici attentionem poſtulant.

Inter eas cauſſas, quae jam hieme et multo magis, vere appropinquante, morbos excitant, eosque, etſi non ſemper, maximam tamen partem epidemicos reddunt, conclavia nimis calefacta et cura nimia obvelandi corpus veſtimentis pelliceis et aliis id genus, calorem nimium foventibus integumentis, referenda ſunt. Quotiescunque enim intramus conclavia ſanorum non minus, quam aegrotantium, calorem ſentimus, qui fervorem climatis aeſtivi Africani propemodum aequat et quanquam hic error ſexcenties indicatus eſt, raro tamen vel nunquam corrigitur, cum hominibus, molliori vitae aſſuetis, nihil ſuavius accidere poſſe videatur, quam ſi ex frigida vel humida aeris temperie reverſi, in conclavi calefacto caloris ſenſu afficiantur. Atque hi praecipue ſunt, qui, diu in calore immoderato verſati, negotiorumque cauſſa aeri frigidiori et humido rurſus expoſiti, de intenſo frigore magnisque

inde ortis moleſtiis conqueruntur, licet alii, qui ejusmodi aeris viciſſitudines fugiunt, et caloris conclavium et aeris externi aliquod aequilibrium ſervant, his repugnant, et moderatum frigus eſſe contendunt.

Non levis eſt error feminarum noſtrarum, in quem etiam infantes inducunt, quod, dum domi ſunt, caput, corpus et crura pelliceis veſtibus obvolvunt et muniunt, contra ſi in publicum et ſaepius in loca, aeris perflatui expoſita, prodeunt, a vi aeris laedentis ſe non defendunt, ſed veſtibus, hiemali frigori non accommodatis, utuntur.

Si diaetae erroribus perſtringendis diutius immorari placeret, alias nec leviores morborum vernalium cauſſas poſſem detegere, cum in univerſum vitae genus hiemale a vernali et aeſtivo maxime differat, nec ſemper conſtantibus his tempeſtatum varietatibus accommodetur: ſed quia tractatio noſtra a fine ſuo nimium recederet, de victu et potu tantum nonnulla proponam. Ac primum quidem victus ratio per hiemem ſaepe durior eſt, carnes etiam ſale conditae et fumo induratae, piſces durioris carnis, frigore exſiccati, olera et legumina viſcidiora et flatulenta, fructus horaei ſubacidi et non nihil adſtringentes et alii digeſtionem validiorem exigentes, cibi

cibi in menſis noſtris apponuntur. Ad hos cibos recte digerendos exercitationibus corporis opus eſt, ſed eae, ut conſtat, maxime negliguntur, quamquam certum eſt, hac ex cauſſa multos ex plebejis, duro victu nutritos, ſanitatem egregie tueri. Ad hujus rei neglectum accedit et alia noxa ex potu calido, quo noſtri crebrius utuntur, quam alio tempore, propterea quod aeſtate in potu frigido refectionem quaerunt.

Ex his aliisque cauſſis, quas fuſius commemorare non attinet, abunde patet, cur vernali tempore corpora in univerſum varia ratione ad morbos diſponantur, qui tamen non niſi ſporadici frequentiores dici poſſunt. Neque vero reticendus eſt communis error, per quem multi tum temporis labuntur, dum curam prophylacticam vernalem jam menſe martio ſuſcipiunt.

Sentiunt profecto, ſub primo aurae benignae afflatu, aliquam infirmitatem, quam plethorae collectae et ſpiſſitudini ſanguinis, nec non coacervatis in primis viis impuritatibus adſcribunt. Alii igitur conſuetum medicamentum purgans et pilulas, ſaepe aloes et draſticorum medicamentorum ſtimulo efficaces, ſumunt, alii ſanguinis evacuationem vernalem citius inſtituunt et in hac re ſaepe medici con-

ſilio non utuntur, ſed conſuetis medendi rationibus inhaerent, cum tamen haec humorum correctio ab accuratiori diaeta deberet initium capere, antequam ad alia artis auxilia accederent. Perverſa igitur hac medendi ratione ſaepius cacochymiam variam, in primis et ſecundis viis latentem, tantummodo movent, non promovent. Alii, quod pejus eſt et in robuſtis tantum et ſucciplenis hominibus interdum ex voto cedit, coactis per regimen externum et medicamenta ſudoribus, humores vehementius movent et acrimoniam, ſpontaneis forte motibus et perſpiratione vernali facile evolvendam et eliminandam, intenſis his motibus augent, ut vel ſubito acutos morbos incitet vel augeat, vel ſubinde chronicis futuris anſam praebeat. Cum igitur et has ob cauſſas, morbis ſporadicis vernali tempore frequentioribus occaſio detur, maxima cura medicorum eo dirigatur, ut, vere appropinquante, in has diſpoſitiones corporum inquirant et, ut ſemper debent, conſiliis diaeteticis primum, poſtea etiam medicamentis quibusdam lenioribus, humores non tantopere exagitantibus, amicis ſuis ſuccurrant, quo vernalis aurae benignitatem blande et cum commodo experiantur.

Ab inſtituto noſtro alienum eſt, cenſuram curationum vernalium, quae porro menſe majo et junio

ſuſci-

ſuſcipiuntur, addere. Plantarum vernalium ſucci expreſſi, lac aut ſerum lactis et variae aquae minerales in cacochymiarum lente obrepentium curationibus magnam vim habent, dummodo conſtitutioni ſanae et morboſae hominum accommodentur: Sed plures conſuetudinis vi abrepti, hanc vel aliam curationis rationem eligunt, quam amicorum ſuaſu, in quorum conſortio eſſe cupiunt, commodam arbitrantur; et quoniam medici nonnunquam, qui in his curationibus accuratam diaetae rationem urgere debent, vel hoc officium negligunt, vel minus obedientes aegros inveniunt, cauſſis praediſponentibus non recte expenſis, vel occaſionalibus aliis ſimul admiſſis, morbi ſaepe leviores futuri ejusmodi curationibus non raro exaſperantur. Unum modo hujus rei exemplum proferam. Inter cauſſas febrium, praecipue intermittentium, abuſum aquarum mineralium propoſui *), experientia crebriori edoctus, per has aquas ſaepe ſaburram primarum viarum tantum agitari et pro differentia aegrorum vel febres intermittentes tertianas, ſalutares effectu ſuo, moveri, vel incompletis motibus peſſimas quartanas et quotidianas vel duplicatas excitari, quae ſalutarem fontium medicatorum uſum minus commendare videntur.

*) in Inſtit. Med. clinicae. §. 72.

Etſi vero plures morbi ex cauſſis variis, per hiemem admiſſis, ex circulatione ſanguinis et elaboratione humorum, minus expedite ſuccedentibus, et ex minus accommodata prophylaxi leviorum morborum oriuntur, brevi tamen tranſeunt et a multis patienter feruntur. Febres nimirum catarrhales ſic dictae, rheumatiſmis, vagis capitis doloribus aliisque ſymptomatibus, utpote levioribus vitae incommodis ſtipatae, ſudoribus matutinis, urina cum ſedimento, facile ſubſidente, gravedine, coryza et tuſſi, ſaepe etiam diarrhoeis ſolvuntur et quanquam in his etiam interdum medici cura opus eſt, tamen, naturae motibus recte obſervatis et directis, brevi tolluntur. Sunt autem nonnunquam tempeſtatum variantium viciſſitudines et aegrorum quorundam diſpoſitiones, quae non tam conſuetos, quam ſingulares quosdam morborum progreſſus efficiunt, de quibus nunc breviter exponam.

Febres quidem, motibus concitatis, humorum dyſcraſiam evolvere et diſſipare, non ſolum leviores continuae benignae, ſed etiam intermittentes tertianae regulares evidenter confirmant. Interdum vero vis materiae morboſae ne tanta quidem eſt, ut cordi reſiſtere et motus auctiores in ſyſtemate ſanguineo, ideoque veram febrem, excitare queat, interdum

terdum etiam ſolidorum laxitas et inertia in cauſſa eſt, ut humores non ſatis agitentur, reſolvantur et ad colatoria organa deriventur, ſed ſtaſes potius in variis partibus contextus celluloſi et in ſeroſo lymphatico potiſſimum ſyſtemate ſubſequantur, quae vel lente diſſipantur, vel chronicis morbis occaſionem ſuppeditant.

Attendendum quidem hic eſt ad eryſipelaceos tumores, qui interdum totum corpus afficiunt, illudque rubore vel univerſali vel in latas areas expanſo tingunt, accedentibus ſimul variis exanthematibus, tanquam in ſcarlatina et urticata febre; alio autem modo oedematoſos et eryſipelaceos tumores partiales exſurgere videmus, qui totum caput et confinia colli vel ſimul vel ſucceſſive occupant, qui interdum in extremitatibus obſervantur, interdum vero in aliis corporis locis, ubi non tantum cinguli inſtar in abdomine, ſed aliis quoque in partibus conſpiciuntur. In his enim omnibus oedema cum rubore, rubor particularis cum puſtulis variae indolis apparent. Puſtulae vero variam ſpeciem referunt, ſiccae nonnunquam ſunt et ad modum ſabuli ſecedunt, tenui albo ſero vel flavo ichore nonnunquam ſcatent, interdum vero

in maculas gangraenosas, per cutim ad contextum cellulosum penetrantes, convertuntur.

Sed nimis longum sit, excretionum cutanearum cum febre leniori incedentium, quae quidem per metastasin eo delatae sunt, historiam pertexere; sunt enim utplurimum mitiores, quae, ut aliae febres catarrhales, vernali tempore observatae, brevi transeunt et, dummodo, viribus vitae subsistentibus, blando regimine excipiantur, sine alio ferme, quam cuticulae desquamatione, incommodo finiuntur. Jam quoniam constat, febres has oedematoso-erysipelaceas interdum variis de caussis exasperari, id doctrinam nostram quodammodo declarabit, si et de gravioribus quaedam commemoravero.

Docet experientia, particulares saepe metastases, in faciem, collum et universum caput directas, gravioribus symptomatibus esse stipatas. Acres enim humores, febre moti, copiosius ad caput ducuntur, propterea quod vasorum insignis copia humores ad illud transfert. Haud raro itaque in his febris vehementer intenditur, quam temperantia acida et nitrosa non cohibent, sed venaesectio eaque repetita sanguinis moti impetum refrenare debet. Accedunt enim interdum deliria, quae phrenitidem vel mentiuntur, vel eam, venaesectione intermissa, inducunt.

cunt. Inprimis vero angina molesta est, quae, quanquam catarrhosa videtur, nec inflammationem faucium secum habet, tamen ob tumorem insignem et vehementem sanguinis impetum suffocationis metum affert.

Nequaquam autem volo, ut tantum morbi acuti impetus refrenetur, sed id tum demum fiat, cum magna vis materiae morbosae ad caput translata est, motus tamen subinde cohibentur, atque chronica etiam mala remanent, cujus rei exemplum haec morbi historia esto.

Vir atrabilarius, hypochondriacis insultibus saepe exagitatus, ob aeris intemperiem, quam negligentius admiserat, febre catarrhali et simul tumore capitis oedematoso erysipelaceo affectus tenebatur. Medicus, qui hujus aegri curam habebat, jam in ipso morbi hujus ingressu perversam ejus indolem ex dispositione aegri metuebat, inprimis cum sciret, haec incommoda a venerea infectione proficisci, cui malo in juniore aegrotantis aetate mercurialibus minus recte fuerat occursum a medicastris, quibus praedisponentibus caussis hanc morbi catarrhalis gravitatem adscribebat. Equidem in auxilium vocatus, ex signis collectis cognovi, languorem febrilem cardiacis sustinendum esse et tena-

citatem atrabilariam ſimul reſolventia medicamenta poſcere. Inde quidem in univerſo humorum circulo conveniens vigor excitabatur: ſed magna vis morboſi humoris, in caput conjecta, ita urgebat, ut hoc vehementer tumeret, palpebris inprimis turgidis et clauſis, quibus aliisque partibus faciei non puſtulae diſcretae, ſed magnae bullae inhaerebant, in quibus ichor acris et flavus in contextum celluloſum deſcendebat et impura ulcera relinquebat. Chirurgus in his curandis et depurandis per aliquot hebdomadas operam gnaviter adhibuerat, cum iis exſiccatis et cicatrice clauſis et ophthalmia etiam, quae inde orta erat, idoneis remediis diſſipata, amauroſis in oculo dextro relicta cognoſcebatur, quae nullam medelam admittebat. Paucis annis poſt hic aeger, anevryſmate aortae rupto, repente periit.

Superiori anno cum vernali tempore viciſſitudines atmoſphaerae, ex humiditate nimia in calorem tranſirent, quem crebriora refrigeria excipiebant, ſimilibus oedematoſis cum eryſipelate conjunctis capitis tumoribus occaſio data eſt. Etſi vero hi non nimium pertinaces erant et regimine diaetetico et blandis reſolventibus medicamentis cedebant, paſſim tamen usque ad julium menſem nonnullos vexabant.

Placet

Placet hic quoque commemorare tumores oedematosos in collo praecipue conspicuos, quos sub initium anni 1767 crebrius observavimus. Autumno enim 1766 usque ad mensem novembrem nimis benigna et vernalis quasi aura flabat, quam tamen subito vehementissimum frigus sequebatur. Verum, mense jam decembri, antequam frigus valde urgeret et sub initium anni 1767, ubi subito rursum temperata aeris humidi et calidi indoles corpora afficiebat, insolitae hae vicissitudines tempestatum catarrhalibus morbis variis occasionem dabant, ex quibus praecipue congestiones seri ad collum et oedemata externa inde nata annotanda putamus. Utplurimum tantum contextus cellulosus subcutaneus intumuit et tumor, in uno latere ortus, in alterum transiit. His vero tumoribus, quod caput non magnopere, sed collum potius occupabant, erysipelas rarius accessit, idque nunquam pustulis obsitum. Quamquam vero in nonnullis glandulae colli conglobatae simul intumescebant, parotidum tamen et glandularum maxillarium tumores nunquam nobis animadversi sunt et, si quas anginas catarrhosas excepero, quae sine oedemate, ad collum nato, oboriebantur cum oedemate externo, faucium tumor erat nullus.

Elegi-

Elegimus quidem in his morbis ſanandis, quod vehementiora ſymptomata non conjuncta habebant, reſolventia leniora interna amaro-ſalina et infuſa et decocta ex herbis et radicibus demulcentibus et diſcutientibus, nunquam tamen recte curari poterant, niſi aut clyſmatibus aut lenioribus laxantibus mannatis, rhabarbarinis et ſalinis, addito nonnunquam ſtimulo ſennae, humores quodammodo derivarentur. Externa medicamenta tumoribus diſcutiendis non conveniebant. Emplaſtra de meliloto, malacticum et alia emollientia, tumoribus durioribus impoſita, puſtulas excitabant, ſaepe etiam ſacculi, pulveribus ſiccis diſcutientium herbarum farcti, ſimilem moleſtiam creabant, tumore tamen non diſcuſſo, ſed ad vicina loca propulſo.

Singularem vero morbi tranſitum in quibusdam adoleſcentibus obſervare licuit. In his enim, tumoribus, vel ex uſu medicamentorum inprimis externorum diſcuſſis, vel haud raro ſponte evaneſcentibus, ad ſcrotum et interdum ad inguina tumores ejusmodi oedematoſi, ſubito exorti, deprehendebantur. Fateor, hanc rem nonnullam ſuſpicionem venerei contagii, clanculum ſuſcèpti, nobis moviſſe, verum cum, attentione adhibita, nihil aliorum ſignorum extaret, quibus haec morbi indoles confirmaretur et ſimilis

eventus

eventus et in pueris nonnullis obſervaretur, ſingularem hanc materiae viſcidae catarrhoſae metaſtaſin eſſe cognovimus, inprimis propterea, quod hi tumores, leni calore foti, ſine ulteriori incommodo poſt paucos dies evaneſcebant, quanquam nulla critica ſigna in urina apparebant, ſed lenta tantum morbi diſcuſſio cum facili virium inſtauratione ſubſequebatur.

Non ab re eſſe videtur, conſiderationem morborum vernalium 1768 obſervatorum hic ſubjungere. Erant autem hi ſuperioribus non graviores, ſed aegri, curae meae traditi, conſuetis febrium catarrhalium paroxyſmis agitati, ſine valida criſi, idoneo regimine obſervato, convaleſcebant. Hoc tamen ut ſingulare quid obſervavimus, oedemata pedum et aliarum quoque partium, quid quod faciei et colli, crebiora eveniſſe. Neminem medicorum latet, poſt febres intermittentes validas, oedemata crurum et rarius anaſarcam ſuccedere et hujus rei cauſſam in imbecillitate univerſali et partiali interdum laxitate, quae per morbum antecedentem inducitur, poſitam eſſe. Et cum hoc in iis potiſſimum eveniat, quorum curatio, ſalinis reſolventibus copioſe datis, nimium protracta eſt, dubium non eſt, quin in noſtris quoque morbis imbecillitatem attendi oporteat.

Infan-

Infantes inprimis morbo correpti, iis tumoribus in universo saepe corpore affecti sunt, manifesto sane indicio, debilitatem hujus mali caussam esse. In feminis quoque, praesertim imbecillibus, oedemata pedum longius subsliterunt, quam in viris, quorum vita pluribus corporis exercitationibus continetur.

Etsi vero in his morbis regimen diaphoreticum et medicamenta, sudorem excitantia, plerumque indicata reperimus, melius tamen respondet usus leniorum laxantium, quibus seri stagnantis resorptio et discussio juvatur. Verum ut ego quidem arbitror, nunquam in his solis subsistendum est, sed roborantium, inprimis corticis peruviani usu laxitas simul corrigatur. Cogitavi quidem de diureticis, sed indicatio non successit, cum urina per morbum, quamvis interdum febrilis esset, non mutaretur, sed in naturali sua crasi persisteret.

Repetamus nunc observationem ex morbis epidemicis vernalibus anni 1759. Variae vicissitudines aeris, inprimis nebulae frequentiores obortae, nec ventis dissipatae, morbis vernalibus excitandis occasionem dabant, qui, etsi catarrhales erant, tamen singularis et frequentior accessus diarrhoearum morbum solvebat et in nonnullis, in quibus haec crisis

non

non accedebat, morbus, ictero ſuperveniente, exaſperabatur. Febris acceſſiones benignae erant, nec ullis gravioribus ſymptomatibus ſtipatae, in multis autem appetitus ciborum cum nauſea et carnium faſtidio conjunctus obſervabatur, ita quidem, ut, quanquam a cauſſa catarrhali proficiſci videbantur, magis tamen ſtomachicae, inteſtinales et bilioſae appellari poſſint. Eas vero a ſaburra, in primis viis collecta atque jam mota, oriri, diarrhoeae ſpontaneae, tertio quartoque morbi die cum levamine accedentes, confirmabant.

Diarrhoeae, catarrhalibus morbis ſupervenientes, ſaepe ſeroſae ſunt, a ſudore ſuppreſſo ad inteſtina converſo, quae tum blando regimine diaphoretico excipiuntur, ne omnis vis morbi in inteſtina convertatur. Noſter tamen morbus ab his differebat in eo, quod dejectiones alvinae magis bilioſae reperiebantur, in primis cum ii, qui dejectionibus alvinis non levabantur, in icterum inciderent. Neque tamen unquam cognovi in his, iracundia concitata, bilem magis motam fuiſſe, quam cauſſam alias in febribus bilioſis ſaepe invenimus. Itaque non eſt dubium, in diſpoſitis interdum febres catarrhales bilem movere et affluxum ejus et ſtimulum in primis viis excitare; quod ſi vero bilis commota non

non effluat, ſpaſmo viarum bilis inducto vel craſi ſanguinis ad bilem generandam magis aucta, haec in ſanguinem ita redundat, ut icteri cauſſa ſit.

Si itaque in imminentibus morbis catarrhalibus faſtidium carnium et proſtratio appetitus ciborum ſe exſerunt, omnino colligimus, impuritates primarum viarum vel vomitorio medicamento protinus emovendas, vel ſi tormina ventris, materiam morbi in inteſtinis jam motam, indicant, ſtimulo ſalino mitiori, inprimis ex cremore tartari et rhabarbaro addito, verſus inferiora promovendas eſſe. His enim auxiliis febris mitior redditur et dejectiones ſalutares morbum ex acrimonia evoluta graviorem futurum coercent et prorſus tollunt. Quod ſi vero haec evacuatio in principio neglecta, nec admodum neceſſaria viſa fuerit et diarrhoea ſpontanea tamen movetur, ex effectu ſuo critica dicenda, indicatis jam laxantibus vel mannatis et aliis idoneis medicamentis ita juvatur, ut morbus ſine ulteriori augmento tranſeat. Quod ſi denique, diarrhoea non protinus ſuccedente, icteri ſigna apparent, morbus hic acceſſorius omnino mitior invenietur et ſaepe poſt viginti quatuor horas diſſipabitur. Nos certe tunc temporis liquore terrae foliatae tartari et ſolutione rhabarbari aquoſa largioribus doſibus exhibitis inſultus

ſultus morbi ſine acceſſu graviorum ſymptomatum diſſipavimus.

Accidit autem menſe martio 1759, id quod hac ipſa hieme crebrius obſervavimus, ut congeſtiones ſeroſae, a viciſſitudine tempeſtatum oriundae, quoniam nulla erant febre ſtipatae, tardius diſſiparentur. Nonnulla quidem proſtant exempla, ubi horror quidam veſpertinus noctu calorem et matutino tempore ſudorem excitavit, ita, ut febres tales catarrhales unico paroxyſmo finirentur. Verum in multis ſine hac febri tranſitoria, vel poſt eam ſuperatam, materia non prorſus diſcuſſa, ſed metaſtatice mota, in variis corporis partibus ſubſtitit et ſine omni febre aegros diu excruciavit. Adferamus exempla, quae his ipſis diebus noſtram curationem poſtularunt.

Qui habitualibus doloribus arthriticis vexantur, quanquam regulares paroxyſmos non experiuntur, vagis tamen articulorum doloribus afficiuntur. In pluribus vero aliis artus et dorſum rheumatiſmis ferme continuis, nunc quodammodo fixis, nunc vagis, detinentur. Nihil tamen frequentius obſervatur, quam congeſtiones materiae viſcidae et acris ad dentes. Etſi vero haud raro dens carioſus cauſſa eſt doloris perſiſtentis, cauſſa tamen occaſionalis in tempeſtatibus variantibus vere quaerenda eſt, propterea quod

Nn et

et vicinae partes et poſt dentes ſaepe evulſos tenſionibus rheumaticis afficiuntur. Eryſipelacei tumores capitis univerſi rarius animadvertebantur, ſed ad confinia frontis partes quasdam cutis, cum rubore obſcuro et dolore exiguo turgentes, vidi, his tamen ad capillatam partem capitis magis, quam ad faciem extenſis. Praecipue tamen ad auriculas tales tumores ſaepius conſpiciuntur, ita etiam, ut in paucis ſine eroſionibus manerent, quippe quae in multis, acrimonia ſcatentibus, poſt aures obſervantur, in aliis ſerum acre ex meatu auditus excernitur. Similis certe indolis ſunt congeſtiones catarrhales ad oculos, quae interdum quidem ophthalmias ſiccas cum pruritu, frequentius tamen humidas efficiunt, in quibus non verae tenſiones et ſtaſes inflammatoriae arteriarum, ſed magis tumor ſeroſus cum venis membranae conjunctivae varicoſis et rubicundis apparet.

Quod ſi igitur haec, quae modo diſputata a nobis ſunt, cum iis, quae ſuperius de tumoribus oedematoſis variarum partium commemoravimus, contulero, facile intelligo, cur congeſtiones hae ſeroſae febrim vel prorſus non, vel in principio tantum conjunctam habeant; cur vel tum, cum ſponte ceſſat, vel cum praepoſtero temperantium

medica-

medicamentorum usu vel sanguinis missione et saepe nimia, supprimitur, materia morbi relinquatur, parum moveatur et, si etiam malignae indolis non est, tum demum lente dissipetur, cum aura vernalis magis benigna et constans, universum humorum circulum juvat et elaborationem humorum liberiorem reddit. Perspicio et illud, quare interdum et quidem tum, cum materia acris in humoribus abundat, ea vel ex sua indole, vel regimine magis calido, vel medicamentis acrioribus evolvitur et vehementius urgetur, febres continuas et interdum malignas excitet; cur denique in senibus saepe ad nobiliores partes, inprimis encephalum delata materia acris apoplecticis insultibus et catarrhis suffocativis occasionem praebeat.

Si nunc potissimum congestiones illas leviores, diu molestas, consideramus, in universum quidem ad imbecillitatem corporum, ex vitae genere in multis antea jam natam, provocare possem, quam non tam in deficiente fibrarum elasticitate, quam potius in virium universarum, circulationem dirigentium, inertia sitam cognoscimus et cujus caussae in vita molliori et contentione studiorum, inter nostros saepe observatae, praecipue se offerunt. Verum propterea ratio elaborationis humorum nostrorum

 nequa-

nequaquam debebat attentione medici indigna judicari, nam lentores et ſtaſes humorum, in ſyſtemate ſeroſo lymphatico natae, cordi non ita reſiſtunt, ut circulum humorum univerſalem excitent et febrem commoveant, ſed, cum reſorptiones humorum in minimis vaſis, vel exiguae ſint, vel ſaepe impeditae, eorum copia corpora ſubinde ad chronicos morbos diſponit. Quod ſi vero acrimonia, in humoribus latens, interdum in laxioribus corporibus, multo magis autem in ſtrictioribus tenſiones et ſpaſmos et inde vagos ſaepe dolores in minimis partibus excitat, febriles motus inde ſuſcitari poſſe intelligo: ſed hi inconſtantes ſunt et vagi, nec poſſunt unquam, niſi prudentis medici auxilio ſuſtineantur et gubernentur, perverſas humorum mixtiones penitus reſolvere et diſſipare.

Proinde medicus, ad diſpoſitionem ſanorum et aegrorum corporum attentus, quaecunque ab arte poſſunt ſuppeditari auxilia, in moderamine febris adhibet. Neque enim ea vel calidiore regimine, vel medicamentis, ſanguinis motum excitantibus, augenda, neque ſaepe tranſitoria, nec ultra modum intenſa febris temperantibus medicamentis et ſanguinis miſſione praepoſtere ſupprimenda eſt, ſed, ratione habita diſpoſitionis aegrorum et idioſyncraſiae,

ad

ad primas vias, ad ſanguinis motum et ad ſeroſo-lymphatici et nervoſi ſyſtematis indolem ſimul reſpiciendum eſt, ut internae vires in morbis imminentibus et ex tempeſtatum viciſſitudinibus tanquam cauſſis occaſionalibus ſaepe natis dijudicentur et in ſuo demum progreſſu recte dirigantur.

Haec medici attentio etſi paucis verbis ſub finem tractationis abſolvi nequit, nonnulla tamen in univerſum addere placet, ne vagae hae obſervationes, quae pathologiam morborum vernalium illuſtrant, ſine attentione ad eorum curationem propoſitae videantur, atque praeter ea, quae paſſim adſperſa ſunt, praecipua therapiae capita tangam et doctrinae ejus generali accommodabo.

Purgantia quidem prophylactica remedia, ut ſemper, ſic in morbis, praecipue vernalibus, imminentibus vel jam evolutis ex diſpoſitione hominum dijudicanda ſunt. Neque tamen hic ſolum ad rigiditatem et laxitatem corporum in univerſum, itemque ad ſiccitatem et humiditatem tubi inteſtinalis, ſed ſimul ad indolem ſaburrae foeculentae, in primis viis collectae, reſpiciendum eſt. Pituita viſcida quidem ſalina, amara et gummi ſaponacea medicamenta reſolventia poſtulat, his tamen non diu utendum eſt, ſed ea, ubi paullo mobilior eſſe coe-

pit, valido purgante eliminari debet. Nec biliosa vel plus minus putrida materia, nausea et oris amarore se prodens, nimis resolvenda et lente promovenda, sed, vel vomitoriis, ad dispositionem corporis accommodatis, ejicienda, vel tamarindorum pulpa et manna, salino vel alio stimulo adjutis, protinus expellenda est, ne nimis resoluta ad secundas vias derivetur. Hoc itaque monitum multo magis attendendum est, cum materia biliosa acris et viscida jam ad secundas vias transiit et, febre mota, agitatur; saepenumero enim observatum est, purgantibus validioribus et resinosis potissimum acrimoniam, in primis viis latentem, cum non rite esset subducta, ita agitatam fuisse, ut febribus intestinalibus et purpurae generandae occasionem daret, inprimis si simul regimine calido sudores fuerint commoti.

Multi igitur medici, hunc errorem cognoscentes, in contrarium inciderunt, ut, cum in catarrhalibus febribus evacuationes alvinas in universum noxias pronuntiarent, quod pustulas jam excretas, vel eam, quam subesse existimabant purpuram, in progressu suo impediri arbitrabantur. Inde enim factum est, ut vel obstructiones alvinas, anxietatibus etiam hypochondriacis praesentibus, per plures dies

dies tolerarent, vel etiam tum, cum diarrhoea movebatur, quae ſaepe ſalutaris erat, aut roborantibus aut opiatis medicamentis eas compeſcere annitentur, id quod in cauſſa fuit, ut regimine calido in conclavibus, ſtragulis ac potu et alexipharmaca medendi ratione inprimis accedente, ſudores in cruditate morbi orirentur, qui acrimoniam in cutem derivarent et purpuram generarent. Medici itaque prudentes, imminente jam febrili languore vel febre ipſa jam mota, foeculentae ſaburrae per clyſmata viam aperiunt, lenia ſalina, mannata et tamarindinata purgantia exhibent, in diarrhoeis jam obortis rhabarbarina cum cremore tartari et ſalibus mediis, vel interdum cum antacidis terreis juncta eligunt, ex qua vera medendi methodo purpurae vernales cum febre continua acuta, inter noſtros antehac frequentiores, nunc oppido rarae et ſcorbuticae etiam, quae ſine febre puſtulas cutaneas effloreſcere faciunt et per aeſtatem ſaepius durant et augentur, minus moleſtae ſint.

Quanquam vero robuſti homines, duro victu nutriti, draſtica aloetica et reſinoſa purgantia facile ferunt et interdum exigunt, tamen et in his catarrhalibus febribus motis, non niſi accurato examine reliquorum ſymptomatum inſtituto, propinari debent.

bent. Saepius in robuſtis his corporibus intermittentes febres a nauſea et vehementi horrore initium faciunt, in quibus vomitoria, inprimis ea, utilia ſunt, quae poſt ejectionem ſaburrae viſcidae et bilioſae ex ventriculo et inteſtino duodeno, etiam reliquum canalem blandis ſtimulis ad continuandas evacuationes alvinas diſponunt. Haec vomitoria, quoniam eorum uſu vires convelli arbitramur, in imbecillis frequenter negligimus, atque fateor, me hac in re non ſemel erraſſe, quod ſaburram, per ſuperiora facilè movendam, lenioribus tantum evacuationibus ad inferiora duxerim et ita morbum protraxerim. Etſi vero nauſea et amaror oris inprimis vomitoria poſtulat et fomes morbi uno ſaepius medicamento ejicitur, perpendendum tamen omnino eſt, acrimoniam hanc, tum, cum in ſecundis viis jam evoluta et mota eſt, hic non coerceri, nec ad ventriculum derivari et per eum ſine noxa aegri ejici poſſe, ſed potius diarrhoeis ſpontaneis obortis, vel lenioribus alvi purgationibus excitatis, in excretione melius adjuvari. Cum enim certum ſit, acrimoniam in habitu cutaneo, leni ſudore diſſipandam, regimine neglecto, ad inteſtina converti et ſaepe diarrhoeis ſeroſis et interdum bilioſis promoveri, confectum etiam eſſe arbitror,

tror, eandem nec ſudoriferis, nec aliis evacuantibus avocari, ſed lenioribus purgantibus juvari debere.

Quanquam vero ſanguinis miſſio in vernalibus morbis ad vehementiam febris compeſcendam rariſſime indicatur et prophylactica etiam, cui plures ex noſtris temere adſueti ſunt, ſaepe poſt morbum diſcuſſum differri et poteſt et debet, ne, evolutione globulorum ſanguinis celeriore reddita, acrimonia latens nimium evolvatur, tamen multae exiſtunt cauſſae, quae vernali tempore tempeſtivam ſanguinis miſſionem poſtulant. In iis enim, qui habitualibus haemorrhagiis nimium enervantur, inprimis ſi haemoptoici ſunt, impetus ſanguinis inordinatus moderata venaeſectione avertendus eſt, ne, febrilibus motibus excitatis, ſanguinis maſſa nimis turgeſcat et vehementi impetu ad varias has partes, per quas haemorrhagia procedit, feratur. Sunt etiam alii, qui denſo nimis ſanguine praediti, ob plethoram veram ſanguineam, quae per hiemem nata eſt, multis incommodis afficiuntur. In his certe ſanguinis miſſionem prophylacticam citius inſtituere convenit, quam in aliis, qui ad plethoram obeſam diſpoſiti ſunt et tum demum, cum vernalis calor humores magis evolvit, cum primae viae

 ido-

idoneis medicamentis purgantibus liberae redditae ſunt, cum alia colatoria abundantiam ſeri acris ſubinde diſſiparunt, venaeſectione ad robur vaſorum non ſolum in univerſum, ſed praecipue in reſorptione humorum ex ſeroſo lymphatico ſyſtemate inſtaurandum, opus habent.

Prudentis medici ſemper eſt, eas vias, quas natura in corrigendo lentore hiemali et acrimonia interea collecta et aucta diſſipanda eligit, ſequi, quo has excretiones regimine et medicamentis non quidem urgeat, ſed tantum juvet. Quod quidem hoc diligentius attendendum eſt, cum imbecillitas, quae noſtris aegris ferme ſemper propria eſt, nec coctiones materiae morbi vehementes, nec criſes ſubito per unum alterumque colatorium tantum abſolvendas, ſed blandas modo lyſes, ceu diſſipationem humorum morboſorum ſubinde factam, admittat. Quam ob rem conſultius eſt, omnes vias, per quas cacochymia, varie collecta, diſſipari poteſt, regimine diaetae liberas ſervare et, ſi opus ſit, medicamentis idoneis ſeceſſum ejus moderari.

Totus hujus rei cardo verſatur in moderamine febris, de quo pauca adjicienda puto. Febris moderata eſt concitatior humorum motus, quo evolutiones

tiones materiae morbofae non folum juvantur, fed et noxiae particulae ad colatoria ducuntur, haec ideoque praepoftere fupprimenda non eft. Si enim motus cohibentur, humores male mixti non recte evolvuntur, nec ad colatoria ducuntur, fed in contextum cellulofum, vel fub cute et inter mufculos pofitum, vel glandulae fabricam denfius cingentem, conjiciuntur, quid? quod ad ipfam vifcerum et glandularum fabricam tranfeunt et eam lente obftruunt. Vidimus in morbis vernalibus et fupra defcripfimus, tumores faepe fine febre exiftere: et morbi glandularum, qui nobis nunc in curationibus noftris multum moleftiae afferunt, nec, ut antehac, in infantibus et pueris, motu non fatis exercitatis, obveniunt, fed faepe vegetos juvenes et adultiores feminas afficiunt, fatis confirmant, humores lentos et acres in corporibus his imbecillis faepius moveri, fed non penitus promoveri.

Exigit haec res noftris potiffimum temporibus accuratiorem confiderationem, cum metaftafes morbofae non tam ex climatis et vitae generis ratione, fed ex difpofitione corporis univerfa et praeterea ex varia medendi methodo pendeant. Etfi igitur paffim in adverfariis noftris monita, eo pertinentia, adfperfa funt, feverius tamen examen, per accura-

tas

tas morborum obſervationes confirmatum, inſtitui debet, ſi metaſchematiſmos morborum recte definire et chronicorum morborum geneſin ex acutis neglectis vel perperam curatis declarare velimus.

Et in reſolventium et roborantium medicamentorum ſelectu ad evolutiones vernales juvandas inſignis medici diligentia requiritur. Etſi enim lentor humorum per hiemale tempus, in iis potiſſimum, qui vitae ſedentariae dediti ſunt, contrahitur, tamen uti ſanguis rubicundus in his non ita denſatur, quemadmodum in aliis, qui corpora ſub frigido coelo exercent, ſic viſcidum etiam in viis ſeroſo-lymphaticis non admodum tenax eſt et ſpiſſum, ſed cum aliqua tenuitate conjunctum, quoniam cum ſolidarum partium inertia, moderata humorum denſitas, quae ſanitati propria eſt, non efficitur. Hic ſalia media, quae et in lentos humores penetrant et ſolida ſtimulant, reſolvendi effectum recte abſolverent, niſi continuato eorum uſu, tum in primis viis, tum in univerſo corporis ſyſtemate laxitas induceretur, atque, tenui ſeroſo humore expulſo, ſimul viarum moleſta ſiccitas remaneret. Extracta quidem plantarum amararum, quae ſale abundant et aliqua roborandi vi praedita ſunt, quaeque praeter reſolvendi virtutem etiam ſiccandi vim


habent,

habent et propter insuavem saporem, displicent, sed dummodo recte seligantur et cum gummatibus et gummi resinosis, nec non cum sapone conjungantur, nec ultra modum continuantur, humores lentescentes et acres ita disponunt, ut subinde per colatoria secedant et catarrhales morbos in universum ad blandas solutiones reddunt idoneos.

Succi, qui plantis vernalibus exprimuntur, subamaris puta, inprimis lactescentibus, si vel per se propinantur, sero lactis postea hausto, vel tenuibus carnium jusculis excipiuntur, in imbecillis etiam blandam resolvendi vim habent; robustioribus vero infusa et decocta, praecipue ex radicibus tonicis et resolventibus v. c. carlinae, pimpinellae albae et saponariae, non sine fructu propinantur. Essentiis et tincturis spirituosis, quibus in mixturis concentratis anticatarrhalibus et resolventibus antehac semper ferme usi sumus, quod videbamur nostris aegris magis placere concentratis, quam diffusis medicamentis, rarius nunc utimur et helenii radicis vel herbae scordii aliaque extracta, in aquis destillatis soluta, propinamus. Neque vero negandum est, imbecilles, victu molli et potu calido saepe nimium utentes, concentrato spirituoso laedi, quod non tantum coagula lymphaticorum humorum, sed etiam stimu-

ſtimulum exſiccantem in ſolidis relinquit, in robuſtis tamen et corpus ſatis exercentibus hominibus, qui potu ſpirituoſo aſſueti ſunt, eſſentiis ſcordii, pimpinellae, helenii et compoſita eſſentia alexipharmaca STAHLII, ut mixturis reſolventibus tonicis, in morbis catarrhalibus lentorem humorum corrigimus et acrimonias quoque moderato ſudore diſcutimus. Quod ſi etiam hos diureſi magis juvare contendamus, tunc tincturae alcalinae tartari et antimonii varia ratione, ſed recte praeparatae et in ſe et cum radicibus reſolventibus digeſtae, viſcidum non ſolum reſolvunt, ſed etiam per renes apte ſubducunt.

Cum autem in imbecillis etiam, in quibus tenuitas humorum eſt, lentoris viſcidi indicia non deſunt, atque vaſa debilia, quoniam ſanguinem et humores non recte denſare queunt, reſolvente medicina magis debilitantur, multi mox ad uſum roborantium accedunt et inprimis cortice peruviano utuntur, exiſtimantes, ex eo potiſſimum nullam noxam oriri, quod amaritiem reſolventem, roboranti virtuti junctam, habeat; Verum tenendum eſt, ſicca corpora ſaepenumero non ferre hanc medendi rationem, quae interdum in ſucciplenis utilis inventa eſt. Etenim non laxitas corporis, ſed cauſſa laxitatis,



C.G. Altenburg. Med. cult. del. J.M. Stock sc. Lips.

xitatis, in viſcido collecto poſita, prius removenda eſt. Quemadmodum igitur in intermittentibus febribus poſt reſolventia et evacuantia, recte exhibita, vis ſolidorum per ſe reſtituitur et exercitatio corporis ſola oedemata forte relicta facile diſcutit, ſic etiam in multis catarrhalibus morbis, vernali tempore frequentioribus, reſolventia amara et tonica, blandis evacuantibus, inprimis per alvum, interpoſitis, omnem curationem abſolvunt et robur elaſticum et vitale rurſus inſtaurant, atque in univerſum conſtat, exercitationem corporis, vernali tempore in aere libero ſuſceptam, robur partium magis confirmare, quam medicamenta roborantia, licet ſelectiſſima.

CON-

CONTENTA
IN HAC PARTE.